Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/denummopantheoha00nica

185

DE
NVMMO PANTHEO
HADRIANI IMPERATORIS,
A D
ILL^MUM SPANHEMIUM
DISSERTATIO,

In qua præter nonnulla de Conſecrationibus Veterum, illarúmque origine, peculiaris quædam inſtituitur comparatio inter Hadrianum, & Alexandrum M. multáque illis communia demonſtrantur.



LUGDUNI,
Apud ANISSONIOS, JOAN. POSUEL, & CL. RIGAUD.

M. DC. XC.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

ILL^{MO} ATQUE ERUDITISSIMO
VIRO
EZECHIELI SPANHEMIO
SERENISSIMO ELECTORI BRANDEBURGICO A CONSILIIS INTIMIS & EJUSDEM APUD
LUDOVICUM MAGNUM
LEGATO.

CUM non ita pridem veniſſet in manus meas numiſma Græcum Hadriani Imperatoris elegantiſſimum, cujus in anteriori parte caput, in averſa ejuſdem ſimul, & Sabinæ Uxoris, atque etiam Antinoi conſecratio expreſſa ſpectatur, cupido me inceſſit experiendi, num quid lucis iſti afferre poſſem, quò apertiùs ab omnibus intelligeretur; ſimul & tædium litis, quæ me ab aliquot menſibus Lutetiæ implicatum detinet, hoc curarum avocamento levarem. Eo igitur animum meum converti & ſtylum, pauciſque diebus in hac cura verſatus, quæ ad nummi iſtius explica-

tionem pertinentia invenire potui, ea quam dixi mente, in hanc diſſertationem contuli.

Verùm cùm eam lucubratiunculam nonnullis amicorum (ut fit,) legendam dediſſem, authores mihi fuerunt; ut eam publici juris facerem; atque etiam eò me compulerunt. Cùm autem viſum eſſet aliquem, ut mos eſt, iſti Patronum ac vindicem parare; Quærenti, ac quem potiſsimum Eruditorum Virorum compellarem circumſpicienti; nullus mihi occurrit, cujus nomen potiori jure huic opuſculo imponerem, quàm tuum, VIR ILLUSTRISSIME; *cum enim multi ſuperiori ævo extiterint, atque etiam noſtro floreant, viri in explicandis, atque enarrandis nummis, atque aliis Veterum monumentis mirè ſagaces, atque eruditi; cui tamen in eo ſtudij genere cedere debeas, non video; imo qui tecum in ea induſtria conferri poſsint. Sanè quantus ſis in omni antiquitatis inveſtigatione, & cognitione litterarum, cùm eximium & ſingulare opus tuum de Numiſmatum præſtantia, omni eruditionis genere refertiſsimum; tum non minùs elegantes iſti, & eruditi in Juliani Cæſares, à te è Græco in linguam noſtram converſos, Commentarij, quos*

nuper edidiſti, abundè ſidem faciunt. In quibus etiam illud admirandum, quod homo extra Galliam natus & educatus eam ſermonis noſtri puritatem & elegantiam comparaveris, ad quam pauci noſtratium hominum aſpirare poſſunt.

Quid alias ingenij tui artes referam? Singularem prudentiam, atque in rebus gerendis induſtriam, omniumque quæ ad politicam pertinent exactam cognitionem, qua tibi maximos Germaniæ Principes conciliaſti, in iiſque Sereniſſimum Electorem, cujus Legatione nunc apud LUDOVICUM MAGNUM *fungeris; neque verò minùs probatum te, acceptúmque ipſi* MAGNO *tua facundia, & ſumma in agendo dexteritas, & fides reddidit.*

Quid morum comitatem, leporem, humanitatem, qua omnium qui te propiùs norunt, voluntates tibi concilias? Quibus ſane virtutibus, non minùs quàm præſtantiâ eruditionis pridem me tibi devinctum tenes; ab eo ſcilicet tempore, quo Romæ degens memoratum opus tuum de præſtantia numiſmatum Falconerio tuo Viro eruditiſſimo dedicabas. Tunc enim & ipſe Romæ eram; illicque tunc, ut nunc in aula Ludovici, omnium in Te

oculos intentos mirabar, qui te jam tum ut omnium bonarum litterarum theſaurum, & ſpirantem bibliothecam ambiebant, atque aſſectabantur; quæ res ſane fiduciam addidit, ut & ipſe amicitiæ tuæ fores pulſarem, quas ut eſt humanitas tua, non minus cupidè mihi, & promptè aperuiſti.

His itaque fateor me nunc impulſum; ut tibi hunc qualem qualem ingenij mei fœtum inſcribam; hocque munuſculo priſtinæ tibi amicitiæ noſtræ memoriam refricem; quem etiam non dubito feliciùs auſpiciis tuis in manus hominum venturum; quod ſi & ipſum tibi probatum fuiſſe intellexero, magnum me laboris, quem, ei impendi fructum percepiſſe putabo; nec enim metuo, ne alteri cuiquam Eruditorum diſpliceat, quod tu probaveris. Illud certè me ſpero impetraturum abs te; ut hoc voluntatis meæ tibi addictiſſimæ, & venerationis teſtimonium æqui bonique conſulas.

CLAUDIUS NICASIUS, Divionenſis.

Pariſiis Kal. Sext. 1688.

PRÆFATIO,

SEU

HISTORICA NUMMI NARRATIO.

NONNULLA hîc diſſertationi noſtræ prævia & neceſſaria Lectoribus maximè, prælibanda ducimus, VIR ILLUSTRISSIME, quæ ſint præfationis loco, & velut pars diſſertationis Hiſtorica, nummum præcipuè exhibens ex Muſæis & Authoribus qui de illo loquuti ſunt.

Duo præ cæteris quod ſciam Authores de hoc numiſmate mentionem fecerunt *Choulius lib. de vet. Rom. Religione* & *Menetrius in* 1. *de Impp. Rom. numiſmatibus*. Choulius quidem in præfato libro tria habet Hadriani numiſmata Græca, quorum unum noſtro omnino ſimile eſt; Aquila enim in averſa parte expanſis alis portat Hadrianum ſub forma Serapidis cum calatho in capite, & Sabinam ſub forma Iſidis cum flore loti in capite, & ſupra caput ſuum in medio illorum Antinoum ſub figura Harpocratis cum modio in capite, digito labia comprimentis, & ſiniſtra Cornu copiæ gerentis, cum litteris Græcis L. IH. id eſt *ann. XVIII.* In adverſa autem parte caput Hadriani Laureatum cum hac

inſcript. AYT. KAIC. TPAIAN. AΔPIANOC. CEB. id eſt, *Imperator Cæſar Trajanus Hadrianus Auguſtus*.

Alterum ſolam Aquilam in averſa parte exhibet alis expanſis, quæ Hadrianum ſub forma Serapidis modium vel calathum in capite gerentis ſine anni æra repræſentat.

Tertium eumdem exhibet in averſa parte arietis dorſo inſidentem, manu dextra ſceptrum, modium capite ſuſtinentem, annus etiam notatur ut in noſtro L. I H. nempe decimus octavus.

Animadverſione autem dignus Choulii error, qui exiſtimat hæc numiſmata cuſa in Græcia, cum percuſſa fuerint in Ægypto, à Græcis nempe Alexandrinis, eo ipſo tempore, quo inibi Imperator ſuum Antinoum amiſit.

Quantum autem cæcutierit Choulius circa noſtrum numiſma, apparet ex his quæ apud eum leguntur. *In multis*, inquit, *numiſmatibus, tam Conſulum quàm Imperatorum conſpicitur Aquila pedes habens ſupra ſceptrum, aut, fulgur Iovis, ſæpe ſæpius vero ferens ſimulachrum ſeu Caput ipſius Iovis; alias vero ſuper alas caput Iovis & Iunonis portat; ut pote Ales Iovi ſacrata.* Nihil autem penitus dicit de tertia figura, quæ ſuper caput Aquilæ Harpocratem repræſentat, ſeu potius Antinoum ſub forma Harpocratis, quaſi ſilentium impoſuerit Choulio Deus ipſe ſilentii Harpocrates,

pocrates, utpote myſteriis Iſidis & Oſiridis parum initiato etſi aliàs antiquorum Rituum exploratori ſummo.

Nec verò magis Choulio initiatus illis *Menetrius* videtur, quamquam ille melius de hoc noſtro numiſmate diſſerat. *Eſt apud me*, inquit, *numiſma æreum pulcherrimum, in cujus averſa parte duo conſpiciuntur numina, Iſis videlicet & Oſiris ab Ægyptiis culta, quorum in medio eſt adoleſcens, inferius Aquila alis expanſis, quibus portat hæc duo numina, ſcriptumque litteris Græcis L. I H. hoc eſt ann. XVIII. Quæ in medio eſt figura repræſentat Antinoum Amaſium Principis: Aquila vero Hadrianum, qui his duobus numinibus conſecrat Antinoum.* Nec contentum his honoribus Hadrianum, ſimulachrum illi in templo Jovis Hammonis erexiſſe, aliaque ejus memoriæ monumenta addit Menetrius, de quibus acturum ſe in Antinoo pollicetur; qua de re tamen altum ibidem ſilentium, neque figuram ipſammet numiſmatis expreſſit, morte forſan præventus, vel quod *Harpocrates*, de quo nulla ibi mentio ipſi etiam ſicut & Choulio ſilentium impoſuerit.

Gorlæus in Dactyliotheca n. 122. habet annulum aureum Gemma Sarda inciſum, in quo aquila alis expanſis, pedibus ſuper fulgur, Serapis ſuper caput aquilæ repræſentat Hadrianum, cum modio in capite. Ex utraque parte ſigna militaria, ſupra quæ Victoriæ alatæ coronantes Imperatorem.

é

P R Æ F A T I O.

Vidi nummum Hadriani apud Clariſſimum Virum Dominum *Dron* de antiquitate optimè meritum, cujus averſa pars exhibet ante altare arietem ſuper quem Hadriani caput forma Serapidis, cum modio in capite, ſuper caput autem arietis, Globus ſeu Sol vel Luna, aut aliud aſtrum cernitur litteris Græcis ex utraq; parte L.K. quæ annum regni XX. Hadriani denotant; *Aries* autem adumbrat *Antinoum*, quem Græci Alexandrini ſeu *Helleniſtæ* non ſolum inter Heröas, & minorum Gentium Deos retulerunt; ſed & ſtationem in cœlis certam eidem aſſignarunt, novum Sydus *Antinoum* inter cœleſtes imagines commenti. Eum etiam nonnulli in orbe lunæ cum *Endymione* collocarunt. *Tatianus* πῶς ὁ τεθνεὼς Ἀντίνοος μειραχίον ἐν τῇ σελήνῃ ὡραῖον καθίδρυται, τίς ὁ ἀναβιβάσας αὐτὸν.

Eſt & alius ejuſdem Hadriani nummus qui adumbrat æternitatem, tanquam ſtantem, una manu tenentem Solem, altera Lunam, quæ numina aliâs ſub figura Iſidis & Oſiridis repræſentantur. Sumpſerunt hæc ſymbola ab Ægyptiis Romani pariter ac Græci. Horus Apollo in Hieroglyphicis αἰῶνα σημαίνοντες ἥλιον καὶ σελήνην γράφουσιν, διά τὸ αἰώνια εἶναι τὰ στοιχεῖα.

Multa ſunt ſparſim numiſmata Hadriani in Muſæis ſtudioſorum Antiquitatis; ſed præſertim in Gazophylacio Regis Chriſtianiſſimi quæ modò Hadrianum ſolum in averſa parte ſub forma Serapidis cum

modio in capite repræſentant; modò cum Sabina ſub forma Iſidis cum flore loti in capite, modò Antinoum ſub diverſis figuris, Harpocratis videlicet, modò dimidii corporis, modò integri, & interim Serapidis junioris cum modio vel flore loti in capite, & cum aſtro, à latere plerumque; ſingula verò hæc numina in numiſmate noſtro Græci Alexandrini ſimul collegerunt; ut non ſine ratione *numiſma Pantheon* nuncupari mereatur.

Fuiſſe olim hunc nummum in Muſæo Farneſiano obſervavi ex volumine magno Goltzii MSS. (quod in Gazophylacio Ludovici Magni aſſervatur,) beneficio humaniſſimi Viri & eximii antiquarii *Andreæ Morellii*, à quo inſigne Opus, univerſalem nempe nummorum collectionem expectamus. Multa in hoc volumine congeſſit numiſmata *Goltzius*, tam quæ edita ſunt cum operibus ſuis, quàm quæ non edita, inter quæ noſtrum cum hac è regione notâ, *Ex farnes...* inter quæ etiam ſub finem triginta tyrannorum collectio rariſſima. Obtulit autem quatuor ab hinc circiter annis *Ludovico Magno* hoc volumen, cum numiſmatibus Chiffletii (penes quem erat) Vir clariſſimus & de antiquitate optimè meritus *Ioan. Boiſotus* S. Vincentii Veſontinenſis Abbas digniſſimus, quem honoris & obſervantiæ ſingularis causâ nomino.

Nummum etiam noſtrum ex Choulio affert *Cuperus* tuus Scriptor elegantiſſimus in noviſſima & plu-

rimùm aucta *Harpocratis* ſui editione, & quidem ſine interpretatione ulla, typum averſæ partis dumtaxat exhibens, ut de Aquila tanquam Solis & Apollinis ſymbolo verba faciat.

Credo equidem *Patinum* de hoc etiam voluiſſe loqui in *Theſauro Morocenico*. Cum *cap.* 12. numiſmata Græca Impp. Rom. ex ære recenſens inter multa quæ ſunt Hadriani hoc ſic poſuit. L. IH. HARPOCRATES *inter capita Serapidis & Iſidis volitante ſuper ipſum Aquila.* Suſpicor mendum ibidem Typothetis adſcribendum, & pro *ſuper ſubter* eſſe reponendum, quamquam aquila non proprie appareat in ſpecie volitantis in noſtro, cum pedes habeat ſuper terram, & conſpiciatur tantum alis expanſis portans ſupradicta numina.

Inter typos autem conſecrationum & notas, Aquila præcipuum locum obtinet, tanquam Jovis Ales, & avium Regina, quæ altius cunctis, & celerius evolat; ut nubes tranſcendere videatur, perhibente etiam Ariſtotele de ipſa ſolam omnium avium eſſe *Divinam.*

Symbola alia conſecrationum vulgò nota, qualia ſunt, *fulmen*, *columna*, *pulvinaria*, *aræ*, *templa*, *thenſæ* in Circenſi pompa, & *pavo* ut plurimum in conſecratione Auguſtarum; in aliis ut ſupra ÆTERNITAS ſub figura Deitatis, vel hæc verba SYDERIBVS RECEPTA, vel Auguſtum DIVI elo-

gium templo quandoque adſcriptum, de quibus paſſim apud numiſmatum Interpretes, aut editores; ſed præclare imprimis in eximio tuo Opere de illorum præſtantia, & in alio de Cæſaribus Juliani.

Pauca hic igitur occaſione eximii numiſmatis de conſecrationibus dicenda, non quâ veniunt cum ritu & pompa illa, quæ apud *Herodianum* & *Dionem* præcipuè, hoc eſt ſub nomine ἀποθεώσεως appellatæ; de quo ritu videndus etiam omnino *Onuphrius in Faſtis*, & *Guttherius de jure manium*, tum etiam *de vet. jure Pontificio.* Sed hîc potiſſimum ſermo de conſecratione, quæ fit adulatione populorum erga potentes, etiam ante illorum obitum; quamquam ſane, ut ait *Pauſanias lib. 7. pag. 459. nemo adhuc Deus factus ſit ex homine, niſi verbo & adulatione* οὔτε θεὸς ἐγένετο οὐδεὶς ἐξ ἀνθρώπου πλὴν ὅσον λόγῳ καὶ κολακείᾳ. Quo quidem conſilio hic nummus cuſus eſt à Græcis Alexandrinis luctum Imperatoris hac adulatione minuere conantibus; cum ille ſcilicet Alexandriæ Antinoum ſuum muliebriter defleret.

Non mirum autem Vir Illuſtriſſime ſi quos ſupra nominavimus Authores *Choulius* & *Menetrius* parum appoſitè & eruditè de hac conſecratione, ſeu de nummo noſtro loquuti ſint; nec mirum etiamſi illis poſteriores, & numero haud pauci, circa hanc veterum numiſmatum explorationem hallucinati ſint multum; antequam enim ad eam pertractandam te

contuliſſes, parum adhuc lucis erat eidem allatum: ita ut ſane hoc nomine mutuari liceat hæc verba *Tullii 3. de Off. Iactabatur illis temporibus nummus*; *ut nemo poſſet ſcire quid haberet*. Tibi debemus hujus eruditæ elegantiæ perfectionem, cujus theſauros omnes abſconditos, in præſtantiſſimo libro omnium conſpectui expoſuiſti, myſteria omnia tot regulis, & canonibus præclaris enucleaſti, & ita perſpicue, ut nihil in eadem poſthac, cui jam facem non prætuleris amplius ſupereſſe videatur. Si quid autem reliquum & latens; hoc in altera parte quam paras præclari operis, abunde erues & propalabis.

Tibi igitur jure & merito hæc noſtra debetur diſſertatiuncula de nummo præclaro, quem non minus feliciter quam fortuito in officina flandi æris artificis Divione inventum, pridie quam illinc diſcederemus huc adventuri, Vulcani flammis eripuimus; ut tibi illius occaſione aliqua verba faceremus de conſecratione Hadriani, & Sabinæ & Antinoi, prout maxime videntur hæc ad Alexandrum M. accedere, hunc enim in multis æmulatus eſt Hadrianus; ita ut hîc comparationem aliquam inter *Hadrianum* & *Alexandrum* non invidente *Plutarcho*, nec *Cæſare* ipſo inſtituere me poſſe exiſtimem: ſcimus quidem Hadrianum eloquio, togæque ſtudiis accommodatiorem, Spartiano autore; expeditiones autem ſub eo graves nullas fuiſſe, bella etiam ſilentio pene tran-

ſacta; diſciplinam tamen militarem non aliter tenuit, quàm civilem; militem quaſi bellum immineret exercuit, tolerantiæ documentis eum imbuens; ipſe quoque inter manipulares vitam militarem magiſtrans, & cætera quæ *Spartianus*; ideóque à militibus propter curam exercitus nimirum, multum amatus, ſimul & quod in eos liberaliſſimum ſe oſtenderit. Adde quod tantas copias habuit, quantas Imperatorum fere nullus, atteſtantibus id ubíque nummis & inſcriptionibus: Quæ de hac & aliis Hadriani virtutibus, ita per univerſum orbem ſparſæ & frequentes; ut perjucundè ſatis à quodam appellatus ſit Hadrianus, herba parietaria.

Ex aliis igitur quammultis comparationem noſtram inſtituemus, nihilque hîc præfabimur aliud amplius; nec à te nec à Lectoribus poſtulabimus, quam quod ipſe *Plutarchus* præclarus Author initio ipſius vitæ *Alexandri* habet. *Quod ſi non omnia,* (inquit) *neque ſigillatim pleraque ad amuſſim perſequamur; ſed perſtringamus dumtaxat, ne mihi obſtrepant; neque enim hiſtorias; ſed vitas conſcribimus.* (nos autem vitarum compendia & actiones particulares) *neque ſemper clariſſima quæque facinora melius virtutes aut vitia detegunt; ſed ſæpe exiguum ſubinde factum, dictumque & jocus aliquis clarius indicat ingenium cujuſque & mores, quam ſtrages hominum præliis editæ, aut urbes obſidione, vi armorum captæ. Vt ergo Pictores ex facie & vultu, ex quibus*

elucent mores in exprimenda imagine præcipuum artis ſtudium, atque induſtriam collocant, nec de cæteris membris laborant magnopere; ita concedendum nobis eſt, ut animi indicia imprimis veſtigantes, ex his cujuſque vitæ & morum accuratam quoad fieri poterit imaginem abſolvamus, aliis molem rerum & certamina permittentes. ἐάσαντες ἑτέροις τὰ μεγέθη καὶ τοὺς ἀγῶνας. Hæc *Plutarchus* quibus nihil addendum; ſed exorandus ſolummodo eruditiſſimus antiquarius Gazophylacii regii Præfectus, (à quo Hadriani vitam omnes tam avide expectant;) quod ſi aliquid hic delibamus, inſtituto noſtro dumtaxat peculiare & proprium; nihil hinc nos detrahere diſſertatione noſtra erudito operi cogitamus, imo potius facem præferre & ſplendorem, *illi molem rerum*, & tot præclara eximii Principis monumenta propalanda relinquentes.

DE

DE NUMMO PANTHEO DISSERTATIO.



CAPUT PRIMUM

DE CONSECRATIONIBVS VETERVM ET ILLARVM ORIGINE.

VOX illa ſerpentis ad primos parentes *Eritis ſicut dij*, ita profundè viſceribùs, ac medullis illorum intimis adegit telum ſuum; ut vulnus inflictum, etiamnum in poſteris recrudeſcat. Nullus eſt enim tam infimæ conditionis homo, qui non diri vulneris pruriginem ſentiat, hoc eſt dominandi, regnandique cupiditate teneatur; ita ut etiam quodammodo *Deus* dici optet, atque ambiat.

Hæc veſana libido Principes potiſſimùm, Regeſque

paſſim inceſſit: freti quippe authoritate ſuâ, & de cultu ſubditorum adulantium ſibi, nimiùm placentes, eoque abutentes, ad honores divinos ferè omnes aſpirarunt; id quod probare facile equidem foret; ſi velimus eorum memoriam refricare, qui à mundo condito regnarunt apud Babylonios, Medos, Perſas, Parthos, Lydos, Ægyptios, Æthiopes, Phryges, Libyes; hac quippe ambitione elati, quid non fecerunt atteſtante *Juvenale, Satyra* 4.

Nihil eſt quod credere de ſe
Non poſſit, cum laudatur diis æqua poteſtas.

Immò non modo *diis æqua poteſtas*; ſed quæcumque anima, quæ de fermento ſuperbiæ intumeſcit. Accedit magna illa quam monet præclarus Autor *Joan. Sarisberienſis Polycr. lib.* 3. *cap.* 4. judicii imbecillitas in plebe; ut facilè tam eminenti loco conſtitutos æſtimet ſupra ſortem mortalium; inde eſt quod ut *Auguſtinus ait lib. de Civ. Dei* 10. *cap.* 4. *multa de cultu divino honoribus deferuntur humanis humilitate nimia.* Denique vulgus & ſummates, & qui in his medium obtinent locum facilè percellit metus, dum vident apud tyrannos leviùs puniri in Deum peccantes quàm in Principes: quod equidem non alibi æquè locum habuit, quàm apud Romanos Cæſares, ubi ſicut ait *Minutius in Octavio, erat tutius per Jovis genium pejerare quàm Regis.*

Ut autem Conſecrationum origo propiùs intelligatur, ſciendum quòd ab antiquiſſimis Græcorum dici ſolet aliquem à morte τετυχηκέναι τιμῶν ἡρωικῶν, vel ἰσοθεῶν (*ut Philo*) Id Latini multò inverecundius dicunt *in deorum numerum referri, vel conſecrari.* Ferè autem *conditoribus urbium*, vel aliis de publica re bene meritis honores heroïcos decernere ſoliti; donec paulatim iidem pro diis etiam habiti. *Plutarch. de claris mulieribus* τῇ λαμψάκῃ πρότερον ἡρωικὰς τιμὰς ἀποδιδόντες, ὕστερον ὡς θεῷ θύειν ἐψηφίσαντο. *Cum Lampſacæ haberent honores heroïcos; poſtmodum ut Deo ſacrificandum decreverunt.* Deferre autem

τιμὰς ἡρωϊκὰς eſt quod una voce ἐναγίζειν dicitur, & longè differt à θύειν, ut notant veteres Grammatici. Adulatio poſtea & ſuperſtitio θεοποιΐαν invenit, cujus moris extat gravis cenſura apud *Plutar. in Romulo*. Ejuſmodi vero adulatione reliquos mortales ſuperarunt Athenienſes, ac maxime Græci, qui Alexandriam habitabant; ut videre eſt in multis nummis, his præcipuè qui *Hadrianum* plerumque reſpiciunt. Romani ante Imperatores parciùs hanc inſaniam inſanivere, quod notat in Julio Cæſare *Caſaubonus*, & alii monuerunt. *Solus è Regibus*, (*ut ait Cicero*) *Romulus conſecratus eſt*, & deinceps alii: privatæ quippe ἀποθεώσεις fiebant parentum per filios conſecratorum, & domeſtica religione cultorum; *ut in Varrone Plutarch.* de *quæſtionibus Rom. docet*: atque hi ſunt dii animales de quibus Labeo libros ſcripſerat, *in quibus* aiebat (Servii verba ſunt) *eſſe quædam ſacra, quibus animæ vertantur in Deos, qui appellantur animales, quod de animis fiant.*

Hæc præfanda obiter duxi, ut origo ἀποθεώσεως Cæſarum intelligeretur; ſicut enim parentes à liberis conſecrabantur, ita Cæſares, qui Patres patriæ dicebantur, & habebantur publicè in numerum Deorum relati, & publica religione culti.

Si autem liceret (ut ſuperiùs diximus) enumerare Principes, qui hac cupiditate apud Barbaros etiam dum viverent correpti fuerunt, offerret ſe ſe primùm apud Aſiaticos, *Babylonius Nabucodonoſor*, qui elatus rebus ſecundis ſtatuam ſibi auream immenſæ magnitudinis poſuit adoraríque eam, ut ſacram effigiem præcepit. Sed ultra progredi ad alias nationes Barbaras diſſertatiunculæ ratio non ſinit; verùm à Barbaris ad Græcos & Romanos dumtaxat. E Græcis autem nobis ſufficiat exemplum *Alexandri M.* Romanorum autem *Hadriani*, quorum in hac parte inſtituimus vitas comparare; & initio quidem ab

Alexandro & Hephæſtione facto, quo eadem deinceps ad *Hadrianum & Antinoum*, aut *Sabinam* etiam Hadriani conjugem adaptemus, ſingulaſque noſtri numiſmatis partes explicatas demus; præfixis non ſolùm ſingulis capitibus, nummis conſecrationum ibidem propriis & ſelectiſſimis, verùm & ubique ſparſim in opere cum res poſtulat intextis.

CAPUT II.

ALEXANDER ET HEPHÆSTIO.



HIC nummum *Alexandri* exhibemus ſub forma Jovis Hammonis cum duobus templis in averſa parte, quæ ſive à Caracalla ſive potius ab Alexandro Severo huic Principi devotiſſimo, in illius & *Hephæſtionis* honorem conſecrata fuiſſe, non ſine probabili conjectura nobis perſuademus potius, quàm aliis Diis ſive Jovi, ſive Minervæ (ut aliis placet.) Nummus autem in theſauro Palatino noviſſime exhibitus; nec exiſtimandus cuſus temporibus Alexandri Magni, ut patet è littera C pro Σ, quam non exhibent vetera illorum temporum monumenta. Malè autem ibi infra poſiti hi characteres K H C pro iſtis B. N Є. id eſt B. ΝΕΩΚΟΡΩΝ quos reſtituimus.

Breviter poſt hæc, & compendioſe perſtringenda, quæ παραλλήλως dici poſſunt, de *Alexandro* & *Hephæſtione* ad *Hadrianum* relatis, ut comparationem noſtram inſtituamus; indeque magnam illam (nec perinde omnibus obviam) *Alexandrum* inter & *Hadrianum* ſimilitudinem propius agnoſcere & contemplari liceat.

Ut autem ordine aliquo hoc exequamur decurrendi nobis omnes gradus ambitionis per quos hi Principes inceſſerunt, excepto ut diximus, qui ad militaris gloriæ faſtigium tendit; Bella enim ſub Hadriano ſilentio pene tranſacta; etſi diſciplinam militarem, non aliter tenuerit quam civilem, aſſerente ut ſupra *Spartiano*. Hoc inquam dumtaxat, & unicè excepto, nihil ferè fuit in uno illorum principum, quod non æquè in alio obſervare liceat; eadem ſciendi cupiditas, par zelus erga viros eruditos, & ſcientia præſtantes, æquale ſtudium inſignium artium & philoſophiæ, idem ædificandi deſiderium, idem peregrinandi; venationi etiam ferarum addictiſſimi ambo, par in equos & immodica propenſio, ambo adulationi hominum pariter obnoxii, divinitatem æquè ambientes, tam pro ſe, quam pro his, quos unicè dilexerunt, unus *Hephæſtionem*, alter *Antinoum*; in quo ultimo potiſſimum & tandem parallelum noſtrum abſolvemus, & conformitatem inter ambos Principes perfectiſſimam demonſtrabimus.

Notum igitur ante omnia *Alexandrum* præ omnibus hominibus gloriæ cupidiſſimum fuiſſe, ſcientiarum amantiſſimum & litteratorum, quos plurimo in honore habuit, fovitq; ſed maximè (quod nemo ignorat) *Ariſtotelem*: *Pindarum* etiam coluit, cujus domum ut norunt omnes, in devaſtatione urbis Thebarum ſummo ſtudio conſervavit, interdixítque ne incenderetur *Homerum* verò unicè (quod non æque *Hadrianus*, ut fruſtra quidam volunt) admirabatur, cujus lectioni quotidie incumbebat, penes ſe *Iliada* ſemper geſtare

ſolitus, quam & in illa pretioſa pixide gemmis cooperta (quam in ſpoliis Darii invenit) repoſuit, illumque ſicut loquuntur Hiſtorici momordit invidia; quod *Achilli* fortiſſimo heroi *Homerum* præconem fortuna tribuiſſet.

Quæſtiones difficillimas diſſolvit *Alexander*, nodum vero Gordium non diſſecuiſſe ferunt Alexandrum; ſed ſane quàm expeditè eum ſolviſſe, cum exſecuiſſet ex temone currus *Midæ* clavum quem vocant, qui temoni alligat jugum; atque ita inde jugum ſubtraxiſſe; quam in rem haud inutiliter forſan attexemus verba *Themiſtii orat.* 14. *edit. Petavij*; ubi agit de loris plauſtri Midæ, & de argumentationibus, quas οὔτιδας λόγυς vocant id eſt *nullas*, ut oſtendamus Alexandrum, non ut vanum Sophiſtam; ſed ut verum Philoſophum argumentatum fuiſſe; ſic autem ait *Themiſtius* (ut eum verbis interpretis loquentem audiamus;) [Vos autem id fortaſſe perſuaſum habebitis, ſi
„ quis ſus deque de ſyllogiſmis diſputet, & argumentationes,
„ quæ Utides, id eſt, nullæ, dicuntur dignoſcere poſſit, & in-
„ volutas explicare; itemque affirmantes, & negantes pro-
„ poſitiones intelligere, veluti Philo & Heliodorus, quorum
„ præclara monumenta ſunt Dominans atque Cornutus, mo-
„ leſta quædam, atque improba ſophiſmata, quorum & in-
„ telligentia difficilis, nec utilis notitia eſt, inſtar illius lori,
„ quo Midæ plauſtrum erat alligatum; ejuſmodi, inquam,
„ hominem philoſophari putabitis? &c.] Quibus verbis conveniunt & quadrant elegantiſſimi verſus *Prudentij* in Apotheoſi:

Quid non libido mentis humanæ ſtruat?
Quid non malorum pruriat?
Statum laceſſunt omnipollentis Dei
Calumnioſis litibus.
Fidem minutis diſſecant ambagibus
Vt quiſque lingua nequior.

Solvunt, ligantque quæſtionum vincula
Per ſyllogiſmos plectiles.
Væ captioſis ſycophantarum ſtrophis,
Væ verſipelli aſtutiæ.
Nodos Tenaces Recta rumpit Regula
Infeſta diſſertantibus.
Idcirco mundi ſtulta delegit Deus,
Vt concidant ſophiſtica,
Deque imbecillis ſubjugavit fortia,
Simplex ut eſſet credere.

Aſſerit *Strabo lib.* 15. Brachmanes de Alexandro Magno dixiſſe, quod ſolum hunc in armis Philoſophantem inveniſſent.

Non minore ædificandi deſiderio flagravit *Alexander*, quàm quivis alius princeps, teſte Architectorum Principe *Vitruvio præf.* 2. *lib. de Architect.* ubi *Dinocratis* hiſtoriam non minus jucundè quàm eleganter narrat, teſte etiam clariſſimo *Voſsio* tuo in eruditiſſimis obſervationibus ad urbem Alexandriam: teſtibus tot urbibus Græciæ & aliis, in quibus ædificavit *Alexander*; ſed maximè in urbe *Athenarum*, omnium fermè tum temporis præcipua; imò teſte ipſo *Hadriano Imp. in Epiſt. ad Servianum*, ubi tam multa de Alexandria (quam ſubverſam à Romanis publicis inſtauravit impenſis) & de Canopo Ægypti, quæ huic inſpirarunt deſiderium hoc; ut & alia multa in villa prope Romam ſui nominis celeberrima effingendi, de quibus infra.

Smyrnæ etiam conditor *Alexander*, non priſcæ illius, quæ fundata ab Amazone ejuſdem nominis; ſed alterius, cujus nobis originem ſingulariter ſubminiſtrat *Pauſanias in Achaïcis* his verbis. [Jam verò Smyrna, cum una eſſet de duodecim "
Eolenſium urbibus, tamque frequens, ut nunc eſt tota eſ- "
ſet regio; Iones è Colophone profecti urbem, quam Ar- "
chæam id eſt priſcam nominant, Eolenſibus ademerunt: in- "

„ ſequentibus deinde temporibus , conſilii ſui jus cum „ Smyrnæis Iones communicarunt. Hujus verò quæ nunc „ extat urbis, conditor extitit Alexander Philippi filius per „ viſum in quiete, ut id faceret monitus ; venationibus „ enim intentum Alexandrum in Pago monte, eo ipſo quo „ erat ornatu ad Nemeſium fanum acceſſiſſe tradunt ; cum „ verò ad fontem ſub platano proximis aquis irriguâ ſom- „ num caperet, obverſatas in ſomniis Nemeſes mandaſſe, „ ut eo in loco urbem conderet ; atque ut eò Smyrnæos de- „ duceret ; miſſos tunc Claron conſultores à Smyrnæis de „ ſumma rerum, quibus talis fuerit è templi penetralibus „ reddita vox :

Terque quaterque viris aderit ſors læta Beatis,
Vlteriora colent ſacri, qui rura Meletis.

„ Facilè itaque ſe deduci Smyrnæi paſſi ſunt.]

Hanc hiſtoriam non parùm illuſtrat nummus Antinoi præclarus maximi moduli æreus muſæi Colbertini, quem hîc beneficio humaniſſimi & eruditiſſimi Abbatis *Biſot* exhibemus, ubi Nemeſes expreſſæ, & quæ hanc eandem reliqua oculis ſubjiciunt.



Cuſus

Cuſus autem à Smyrnæis nummus in honorem Hadriani, qui ejuſdem urbis inſtaurator magnificus, ſeu alter ab *Alexandro* conditor, prout videbimus infra, cum de *Polemone Sophiſta* Hadriano cariſſimo loquemur; & hic mirificè comparationem noſtram & parallelum Hadrianum inter & Alexandrum commendat.

Ut autem noſtram hos inter Principes comparationem commendemus amplius, nummum alterum *Antinoi* exhibeamus ex eodem Cymelio & ejuſdem formæ nummo alteri *Hadriani* omnino ſimilem, quantum ad typum partis averſæ, ubi *Kydnus* fluvius cum hac inſcriptione ΑΔΡΙΑΝΗϹ ΤΑΡϹΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ ΝΕΩΚΟΡΟΥ. Nummum hunc *Hadrianæa Tarſus metropolis Æditua* adblandiens Imperatori, & Alexandro comparans, in gratiam illius cudendum curavit. *Antinous* autem in hoc nummo effingitur cum flore loti in capite, & cum aſtro juxta caput, quo inter Deos relatus, & in numero conſtellationum cæleſtium poſitus ſignificetur.



Cydnus fluvius Ciliciæ in Aſia minore Tarſum urbem præterfluens; cujus aquæ frigidiſſimæ, & podagroſis ſalubres. In hoc ſe lavit *Alexander*, ex quo in gravem mor-

bum incidit, ita ut ejus ſalus deplorata fuerit à Medicis; nec niſi exhibito à Philippo patre remedio ſanari valuerit. Sic de illo *Juſtinus lib.* 11. *cum Tarſum veniſſet, captus Cydni fluminis amænitate, per mediam urbem influentis, projectis armis, plenus pulveris ac ſudoris in præfrigidam undam ſe projecit.*

Sed redeat unde aberravit oratio, & ab *Architectura*, ad alias artes, quas amore proſequutus eſt *Alexander*, ſermonem convertamus.

Picturam, *ſtatuariam*, *cælandi artem*, earumque artifices eximios mirificè coluit; ut ex ipſius hiſtoria & edicto celeberrimo conſtat, de quo apud auctores paſſim; ſed maximè apud *Plinium lib.* 7. *nat. hiſt. Edixit*, inquit, *Plinius*, *ne quis ipſum alius quàm Apelles pingeret, quàm Pyrgoteles ſculperet, quàm Lyſippus ex ære duceret*; quæ ſic *Horatius ad Auguſtum* verſibus expreſſit:

Edicto vetuit, ne quis ſe præter Apellem,
Pingeret, aut alius Lyſippo duceret æra
Fortis Alexandri vultum ſimulantia.

Quanto autem inter alios artifices amore proſequutus ſit Apellem Alexander, illud propemodum demonſtrat, quod quàm eximiam & ſingularis pulchritudinis *Campeſtem Lariſſæam* puellam deperibat, ipſi in matrimonium dederit; cum obſervaſſet illius amore captum *Apellem* dum illam pingeret.

Equorum inſuper amantiſſimus fuit *Alexander*, quod & *Bucephali* nobis innuit hiſtoria, cui urbem ſui nominis ædificari voluit, & in cujus memoriam cuſa fuerunt etiam numiſmata, inter quæ illud theſauri Morocenici, in quo caput Alexandri Magni exuviis Leonis ornatum, & in averſa parte tres figuræ prope equum effingentes (ut opinor,) *Alexandrum* ſibi de domito *Bucephalo* coram *Hephæſtione & Parmenione* gratulantem exhibent. En & aliud elegantiſſimum Domini *Dron*; in quo caput Alexandri iiſdem Leonis exuviis

ornatum ; averſa autem pars *Alexander* domans *Bucephalum* cum hac inſcriptione ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ Β. ΝЄ. hoc eſt β. Νεωκορων.



Obnoxius plurimùm Alexander adulationibus hominum, & oſtentationi, ſi quis umquam fuit, quod maxime divinitatis affectatæ argumento apparuit ; licet ex iis quæ commemorat *Plutarchus* innuere velit, nihil illum ſibi perſuaſiſſe vani, aut inflatum fuiſſe ; verum intendiſſe divinitatis opinione reddere ſibi obnoxios alios, ἀλλὰ τοῖς ἄλλοις καταδουλούμενος τῇ δόξῃ τῆς θειότητος. Sed quidquid dicat *Plutarch.* quod plane vellet *Alexander* Deus, & quidem Jovis filius haberi, faceta *Olympiadis* ipſius matris vox fidem fecerit, οὐ παύσεται με διαβάλλων Ἀλέξανδρος πρὸς τὴν ἥραν. *Non deſinet Alexander me apud Junonem in crimen vocare.*

Nemo ſane mortalium adeo divinitatem ambivit, aut præ ſe tulit, quam ille *Pellæus* Juvenis ; notum enim eſt, quod non à Perſis modò Deus voluerit haberi : ſed à ſuis Macedonibus & Græcorum aliis, qui hac parte quoque Macedonibus erant faciliores. De *Demade* ſic habet *Ælianus Var. hiſt. lib.5. cap.* 12. ἐκκλησίας οὔσης Ἀθηναίοις παρελθὼν Δημάδης ἐψηφίσατο τὸν Ἀλέξανδρον τρισκαιδέκατον. Ut prætereeam ab una veſana illa ambitione profectum Heroïs hujus ad Hammonem iter, ejuſque cum Deo illo Arietino colloquium.

Notum eſt etiam quod *Diogenes Laërtius in Cynico lib. 6.* memorat, hunc nempe Philoſophum (cum vidiſſet Ægy-

ptios Alexandrum ſub forma Bacchi repræſentaſſe) in hæc verba erupiſſe: *Et me Serapim facite*, quibus hæc duo innuere voluit, & ſe æque mereri divinitatem ac Alexandrum, & eandem eſſe Serapidis & Bacchi divinitatem, ut ex *Macrobio* & aliis conſtat, quod numiſmati noſtro ſatis congruit.

Addere præterea liceat, quod & ipſe Alexander μαντεῖον ſive χρηστήριον novum ut inſtitueretur curaverit, imò *Alexander* non ſolùm ut Deus coli voluit; verumetiam filius Dei æſtimari, quod nimis notum, ut huic rei amplius immoremur. Hæc autem de *Alexandro* dicta ſufficiant, nunc de *Hephæſtione* pauca.

Hephæſtio unicè dilectus ab Alexandro, non equidem infami illo παιδεραστίας amore, quo minime laboravit hic heros, quidquid de *Bagoa* famoſo illo ſcorto improperent illi quidam Hiſtorici: Alexandri enim haud unum præclarum continentiæ ſpecimen celebratur: ferunt quippe inter alia *Tarentinum* quemdam mercatorem, duos juvenes pulchritudinis ſingularis illi obtuliſſe emendos, quem graviter objurgavit, ſicut & alium *Agnonem* nomine, qui *Crobylon* Corinthi famoſum ob pulchritudinem illi etiam obtulerat. Amavit verò *Hephæſtionem Alexander* conſuetudine amicitiæ & familiaritatis ſingularis: ita enim familiariter vivebat *Hephæſtio* cum *Alexandro*; ut referant legente ſecretò Epiſtolas *Alexandro*, ſupra illius humerum liberè aſſurgere ſolitum ſæpius *Hephæſtionem*, & unà legere epiſtolas; quod cum aliquando feciſſet, legente Alexandro Epiſtolam matris, quæ accuſabat *Antipatrum*; ferunt Alexandrum, detractum è digito annulum, quo Epiſtolas, & reliqua arcana obſignabat, *Hephæſtionis* ori appoſuiſſe; ut ſignificaret eidem tacenda eſſe, quæ in Epiſtola ſecum legerat, deberéque dilectum Regis & miniſtrum eſſe ſecretum, ut *Harpocratis* inſtar os digito comprimeret, hoc eſt ſilentium ſervaret.

Hephæſtionem autem ita dilexit *Alexander* ut poſt illius mortem, tumulo & funeri pluſquam 12000 talenta inſumpſerit, & ipſum inter Deos tandem collocari voluerit; de quo ſcriptores veteres multa, præcipuè *Curtius lib.* 10. *Illud tamen* inquit, *verum eſt, quod Alexander Hephæſtioni tanquam heroi ſacrificari juſſerit.* Neque aliter *Plut.* τῦτο ὐδενὶ λογισμῷ τὸ πάθος Ἀλέξανδρος ἐνέγκεν &c. ἕως Ἄμμωνος ἦλθεν μαντεῖα τιμᾶν Ἡφαιστίωνα, καὶ θύειν ὡς Ἥρω παρακελέυουσα. *Nulla ratione adduci potuit Alexander ut hunc caſum ferret ſapienter, &c. quoad ab Hammone allatum oraculum eſt, ut Hephæſtionem colerent pro Heroë, eique ſacrificarent.* At hæc ſciſcitatus fuerat Alexander, ut teſtatur *Arrianus lib.9.* volebat nimirum ita ſibi reſponderi; nec aliter auſi facere Antiſtites, dum ut ipſi in omnibus adularentur, aut metu coacti, aut pretio inducti eſſent ἥκων ἢ καὶ παρὰ Ἄμμωνος οἱ Θεωροὶ &c. *Venerunt ab Hammone ij, quos ſciſcitatum miſerat.* Quoſnam nempe honores Hephæſtioni tribuere fas eſſet, qui quidem Ammonem reſpondiſſe nuntiabant fas eſſe ut Heroi ſacrificare; quo oraculo lætatus deinceps, eum ut Heroëm coluit. Heroës autem, non verò ſoli Dii, Deæve vaticinandi poteſtatem habere credebantur. Hinc apud *Lucianum in Dial. mort. Tryphonius* Mercurio reſpondit ὦ Μένιππε Ἀμφιλόχος οὗτος ἂν ἄδειν, &c. id eſt *Menippe noverit Amphilocus hic quid ſit ipſi pro ſe reſpondendum: at ego heros ſum, ac vaticinor, ſi quis ad me deſcenderit*, & quæ plura ibidem leguntur.

Audiendus ſane omnino idem *Lucianus in lib. de non temerè credendo calumniis* quoad Alexandrum & Hephæſtionem παρὰ δ' Ἀλέξανδρω, &c. apud Alexandrum, graviſſimi criminis reus fiebat, qui colere & adorare nollet *Hephæſtionem*; nam poſteaquam is è vivis exceſſit, amore victus *Alexander* ad reliquam funeris magnificentiam additum voluit, ut mortuus inter Deos *Hephæſtion* haberetur; Continuò civitates ei, templa condiderunt, delubra dedicarunt, aras, vi-

ctimas, & feſta huic novo Deo conſecrarunt; eratque nomen *Hephæſtionis* jusjurandum omnium religioſiſſimum: Si quis autem vel riſiſſet ad ea quæ fiebant, vel non omni ſtudio colere viſus eſſet, capitale erat. Aſſentatores autem percepta hac imbecilli Alexandri cupiditate, ei ignem & fomitem addere cœperunt, ſomnia narrantes *Hephæſtionis*, apparitiones quaſdam, & medelas ei attribuentes, ejus oracula prædicantes; denique ut aſſeſſori, malorumque depulſori Deo ſàcra fecerunt. *Alexander* autem hæc jucundè audiebat, tandem etiam ut veris fidem habebat, & gloriabatur, quòd non modo filius Dei eſſet, ſed & Deos etiam creare poſſet.

Si nummi *Hephæſtionis* æque ac *Antinoi* obvii forent in Cymeliis Antiquariorum, hîc à nobis exhibendi fuiſſent; verùm cum non æque erga hunc heroëm ſtudioſi fuerint hac in re populi, pro illo ſubſtituendus hîc qui vicem ſuppleat *Antinous*, prout cernere eſt in elegantiſſimo nummo, quem in gratiam Hadriani cuſum & ſuperius exhibitum, denuò exhibendum ob elegantiam ducimus; ubi duæ Nemeſes in averſa parte adſtant Alexandro jacenti ad radices arboris; in anteriori autem Antinous conſpicitur; quæ omnia demonſtrant, Alexandrum & Hadrianum ad ſe invicem quam maxime accedere ſibique plane reſpondere.



CAPUT III.

HADRIANUS.



SI nummum Hadriani cum duobus templis in averſa parte, æque facile ac adlatum paulò antè cum ſimili typo Alexandri reperire licuiſſet, eumdem hîc tanquam opportunum ad illuſtrandam, atque confirmandam comparationem noſtram appoſuiſſemus; ſed cum talem non ſimus nacti, alium hîc nummum *ex theſauro Morocenico* depromptum damus, in quo caput Hadriani cum hac inſcriptione ΚΑΙCΑΡ ΟΛΥΜΠΙΟC ΑΔΡΙΑΝΟC, ad memoriam nempe templi ab Hadriano dedicati & conſecrati. In averſa autem parte templum Dianæ Epheſiæ, quod ab *Eroſtrato* (ut notum eſt) incendio datum, quo die natus Alexander; hinc ſaltem obvia duorum templorum, ne Alexandri inſuper dicam & Hadriani mentio; quem nummum præterea illuſtrant inſcriptiones, quæ apud *Sponium* noſtrum in Itin. Athen. ΑΔΡΙΑΝΟΝ ΟΛΥΜΠΙΟΝ ſæpius celebrant, de quo *Spartianus* ſic in ejus vita. *Athenis*, inquit, *Jovis Olympii ædem & aram ſibi, eodemque modo per Aſiam iter faciens templa ſui nominis conſecravit.* Appellationem autem hanc *Olympii* ſic

ambivit Hadrianus , ut ſibi cum Jove communem eſſe voluerit.

Typum nummi *Hadriani Olympii* miſit ad nos nuper ex Italia Illuſtriſſimus *Vvittius Batavus*, amicus noſter ſingularis , in quo caput Hadriani laureatum cum epigraphe ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΤΡΑ. ΑΔΡΙΑΝΟϹ ΟΛΥΜΠΙΟϹ. In averſa autem parte Jupiter *Philalethes* medius inter duas feminas quarum una (quæ Pallas) Jovis ſtolæ plus æquo longioris & pendentis laciniam portat à tergo & ſuſtinet , ob reverentiam quaſi ſummo Deorum , & veritatis amanti debitam. ΖΕΥΣ ΦΙΛΑΛΗΘΗΣ. ΛΑΟΔ. *Iupiter veritatis amicus. Laodicenſium.* Auguſti nummus Gazæ Regiæ. Placuit illico mihi, & primo aſpectu Typus ſingularis. Verùm cum diligentius obſervaſſem ; hæſi dubius an genuinus eſſet, cumque oſtendiſſem peritiſſimis monetariis *Morellio & Vaillantio* , penes quos eſt omnino rem nummariam conſtituere , illum mihi ſuſpectum falſitatis reddiderunt , nec ullo modo aſſurrexerunt Jovi ſic ſtolato , quem merum figmentum dixerunt, deditaque opera ſtolam illius à quodam interpolatore productam, ut imperitis illuderet , quod & quodammodo *Vvittio* ſuboluiſſe cognovi. In illorum ſententiam ivi lubentius, quod Typus Jovis *Philalethis* in aliis nummis abſque productione ſtolæ ubique obſervetur. Adde quod in manu fœminæ ſtantis ante Jovem (quæ forſan Juno) haſtam ponit interpolator , quam Jovi Philalethi dare debuiſſet , qui cum haſta aut ſceptro in manu ſiniſtra , & Aquila in dextra effingi ſolet : aut ſaltem Palladi (Jovi adſtanti à tergo cum Clypeo) ſic repræſentari ſolitæ , potius , quam hanc Jovis ipſius ſtolam dextra ſuſtinentem exhibere : ita ut duæ Pallades effingi videantur in eodem Typo , quod ſane abſurdum. Niſi per has deſignari velimus duas ſorores, Jovis filias , *ſapientiam* , & *veritatem* ; non enim minus hæc , quàm altera (ut ex Pindaro accipimus) *Jovis filia.*

Inſcriptionis

Inſcriptionis autem litteræ ita omnes elutæ, ut ſit difficile hanc expiſcari; ſed quantum aſſequor conjecturâ, fœdus & concordiam continent inter Laodicenſes, & Smyrnæos; ac proinde ibi legendum ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ CΜΥΡΝΑΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Laodicenſium, & Smyrnæorum concordia*, hanc forſan procurante Polemone Sophiſta Laodicenſi Hadriano & Smyrnæis cariſſimo, de quo infrà, ubi de Smyrna incidet ſermo: ſuffragante ad hoc etiam Jove ipſo ambarum Civitatum præſide Deo. Dioſpolis enim aliquando vocitata eſt Laodicea, ut ſicut ΖΕΥ ΦΙΛΑΛΗΘΗΣ. ΛΑΟΔ. ſic & ΖΕΥC. ΑΚΡΑΙΟC. CΜΥΡΝΑΙΩΝ. in nummis reperire eſt. Jupiter *Acræus* qui præeſt arcibus, cujus templum in promontorio Smyrnæorum. Hunc in diatriba tua eruditiſſima de Smyrnæorum nummo exhibes cum Jove *Philalethe* ex nummo. *M. Aurelii* Gazæ Regiæ; cui & alterum elegantiſſimum junxiſti ex eadem Gaza, & ejuſdem M. Aurelii, ubi *Jupiter Philalethes* cum duobus Nemeſibus, quem *Attalus ſophiſta* Polemonis filius duplici patriæ Laodiceæ & Smyrnæ poſuit.

Inſcriptionem eandem præ ſe fert nummus ejuſdem M. Aurelii, de quo meminit *Hadrianus in lib. de nummis fol.* 283. ubi Imperatorem medium conſtituit inter duas fœminas ſtolatas, *Junonem* forſan & *Palladem*, non *male* haud dubie, & *perperam*, ut in noſtro effictas, quæque illi lucem afferre potuiſſent; ſi has ſuis nominibus deſignaſſet *Harduinus*.

Eandem etiam inſcriptionem ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ CΜΥΡΝΑΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ habet nummus alter ejuſdem M. Aurelii elegantiſſimus Theſ. Morocenici, ubi *Patinus* Imp. conſtituit inter duas figuras ſtolatas, non fœminas ut *Harduinus*; una enim eſt Jovis ipſius Philalethis cum Aquila in dextra, & ſceptro in ſiniſtra. Altera Nemeſeos, quæ optimo principi optimè conveniunt, quaſi *juſtitia & veritas* obvia-

verint illi, & cum his congredi & colloqui videatur.

Nolim credere, & nefas eſt ſanè eruditiſſimum Harduinum hallucinatum èſſe in his nummis quaſi non diverſos exiſtimaſſet, *Iovemque Philalethem* pro fœmina accepiſſe, ut *Venerem* pro *Apolline Pythio* accidit nuper viro alioqui etiam eruditiſſimo in diſſert. ad nummum *Tranquillinæ* Gordiani junioris uxoris, quod illi quodammodo condonandum videtur; nudus enim omnino ut Venus effingitur *Apollo*, & cum capillitio ſatis mulieri conſentaneo.

Quidquid ſit tandem de his nummis & de *Pſeudophilalethe* noſtro, illum hîc nihilominus exhibendum duximus, in gratiam ipſiuſmet veritatis; nihil enim hanc æque commendat, atque eluceſcere facit quàm falſitas ipſi adverſa & oppoſita, & in gratiam maximè *Vvittij* Philalethis, & antiquitatis ſtudioſiſſimi, qui hunc ad nos è Neapoli miſit, & qui huic diſſertationi (ut ſcis vir illuſtriſſime) occaſionem quodammodo præbuit. Illum credo nunc in Patriam reverſum ex *Italia*, *Magna Græcia*, *Sicilia*, *Melita*, & locis adjacentibus, onuſtum ſpoliis omnimodis antiquitatis, nummis, inſcriptionibus, gemmis ſculptis, ſtatuis, vaſis antiquis (ſupra quæ opus elegantiſſimum & multæ eruditionis meditatur) manuſcriptis libris, & editis rarioribus; ex quibus omnibus & Muſæum adornabit, & Bibliothecam ſelectam inſtituet. Quæ autem Bibliotheca ſelectior quam tua, & quam hîc habes? Hæc enim ſi non numero librorum, ſane ſingularitate & raritate, multis, quæ in hac urbe opulentiſſima ſunt, anteponenda, ſive antiquitatem ſacram & profanam, ſive omne litterarum & doctrinæ genus ſpectemus, plurimoſque ex omni illa veterum, maximè Græcorum authorum claſſe tuis obſervationibus eruditiſſimis, propria manu in margine notatos. En igitur *Philalethes* noſter, cui adſtat à tergo *Pallas*, ſtolamque portat & ſuſtinet.



Sed cùm nulla magis quàm ſuamet commendatione egeat veritas, tot ſummis intrinſecè dotibus locupletata, hanc cum exterioribus & adſcititiis, imò fucatis & falſis ornamentis exhibere, piaculi quoddam genus eſſe videatur; nec minus etiam capitaliſſimum crimen fuerit amici illius, Jovis *Laodiceni*, non dicam corrumpere & adulterare nummum, verùm ſicut fecimus oculis exponere Antiquariorum; etſi æquis in hoc ut viſum eſt ſatis legibus uſi. Expiemus igitur crimen illud Jovem ipſum Philalethem exhibentes in elegantiſſimo collectionis *Illuſtriſſimi Apamienſium Epiſcopi*. Laodicenſium nummo Hadriani noſtri Olimpii, ſuis propriis & nativis ornamentis conſpicuum.



Cùm autem templa Hadriano conſecrata ſint à Bythinienſibus, ſicut & Antinoo illorum conterraneo, imo &

Sabinæ, non abs re erit, ſed accommodatè multum ad rem propoſitam, illorum hîc ex collectione Regia nummum afferre; ut ſi non ſimul duo, vel tria templa (ſicut in quibuſdam nummis) ſeorſim ſaltem illis, & ſeparatim condita conſpiciantur; averſa pars nummi elegantiſſimum templum exhibet, cum inſcriptione ΚΟΙΝΟΝ ΒΥΘΙΝΙΑC. id eſt communitas Bythiniæ; adverſa verò caput Hadriani cum inſcriptione ΑΥΤ. ΚΑΙC. ΤΡΑΙ. ΑΔΡΙΑΝΟC. CЄΒ.



Quamquam autem divinitatem non ita apertè ambiverit Hadrianus, ut Alexander; non minus tamen inſana quadam gloriæ cupiditate flagravit; atque ut eximia quadam ac ſecreta à reliqua hominum turba, laude ac indole cenſeretur; velut tacitè ſe Dei inſtar venditabat; fuit enim ingenii luxurioſi, & ad oſtentationem inſolentis, ut videbimus.

Scientias omnes amplexus eſt Hadrianus, litteratos omnes fovit, omnes, (ne nominatim de ſingulis dicamus) Grammaticos, Rhetores, Muſicos, Geometras, Pictores, Aſtrologos, habuit in honore; præ cæteris (ut multi aſſerunt) *Phavorinum*.

Aſtrologos autem non ſolùm, ſed & *Gnoſticos* & *Baſilidianos* Hadriano gratos fuiſſe *Zonaras* & *Xiphilinus* tradunt, erat enim ut referunt tantæ ambitionis, ut omnia affecta-

ret, ſeque nihil ignorare profiteretur; curioſiſſimus etiam occultarum ſcientiarum, divinationibus, atque magicis artibus crebrò uſus eſt. Profert *Gorleus in ſua Dactiliotheca num.* 104. annulum Hadriani cum ſignis Zodiaci & figura Mercurii, quem ſine dubio ut ἀλεξιτήριον geſtaſſe ferunt; quod commune & proprium habuit cum Alexandro Magno, qui ſignum *Herculis* ſecum habuiſſe fertur, ſi *Statio* credimus *lib.*4 *Sylv.* Carm. 6.

Pellæus habebat
Regnator lætis numen venerabile menſis
Et comitem occaſus ſecum portabat & ortus, *&c.*

Veritatis ſimulachrum in gemma exſculptum Sacerdotes Ægyptiorum de collo pendens geſtabant ἄγαλμα ἀληθείας, *ſimulachrum veritatis*, de quo videndus *Ælianus in Var. hiſt. lib.*14. & *Diodorus Siculus lib.* 1. quodque conferendum cum *Hiſtoria ſacra in Parab. Salomonis*, qui jubet hanc circumdari gutturi; de quo ſimulachro veritatis infra in *Sabina* cùm de *Iſide*, & natalibus loquemur *Harpocratis* qui veritatem adumbravit poſt natales ſuos, & ut ſic plerumque in gemmis repreſentatur & annulis, atteſtante *Plinio lib.* 33. *cap.*3. *Harpocrationem, ſtatuaſque Ægyptiorum numinum in digitis viri quoque portare incipiunt.* Si autem annulum Hadriani hîc non exhibeamus ex *Gorleo*, ex Gaza regia ſaltem nummum exhibeamus ejuſdem Imp. qui in averſa parte habet Harpocratem proboſcide, ut vult *Patinus*, ornatum, cum flore loti in capite, & poſt tergum clavam quæ Herculem deſignat, cui upupa inſiſtit. Quæ non minus quàm cætera illuſtrando parallelo noſtro inſerviunt.



Græcis litteris impenſiùs eruditus *Hadrianus* à pleriſque Græculus appellatus eſt, ad Athenienſium ſtudia, moreſque ſe compoſuit non ſermone tantum; ſed cæteris diſciplinis excolendis, canendi, pſallendi, medendíque ſcientia, Muſicus, Geometra, Pictor, Sculptor juxta *Polycletos* & *Euphranoras* perinde omnino ad iſta ſingula erat factus; ut elegantiùs nunquam id humanæ res expertæ videantur. Ubique verò ædificabat; namque ad ſpeciem legionum militarium fabros, perpendiculares, Architectos, genuſque cunctum extruendarum mœnium, ſeu decorandorum in cohortes conſcripſerat; ita in omnibus pene urbibus ædificavit, & ludos edidit; in hiſque omnibus, omnium Regum magnificentiam ſuperavit.

Si autem Alexander quæſtiones multas inter Philoſophos diſſolvit; non minus ſubtilis imo magis Hadrianus, qui multas ipſe quæſtiones apud Alexandriam in Muſæo Profeſſoribus propoſuit. Muſæum autem illud Alexandrinum fuit celeberrimum, de quo *Strabo ſic lib.* 17. τῶν δ᾽ Βασιλέων μέρος ἔςι καὶ τὸ Μυσεῖον, &c. *Pars etiam regiarum eſt Muſæum, quod ambulationem habet & exedram, & magnam domum in qua cœnaculum eſt eorum qui Muſæi conſortes ſunt, ac litteris humanioribus ſtudium impendunt. Hoc Collegium publicè pecuniis ſuſtentatur, & Sacerdotem habet, qui Muſæo præeſt, olim à Regibus, nunc à Cæſare conſtitutum.* Jus autem eligendi Philologos ad Cæſares pertinuiſſe (in quibus mentio Hadriani)

Philoſtratus in Dionyſio auctor eſt. Ἀδριανὸς γὰρ Σατράπην αὐτὸν ἀπέφηνεν οὐκ ἀφανῶν ἐθνῶν, κατέλεξε δὲ τοῖς δημωσίᾳ ἱππεύουσι, καὶ τοῖς ἐν τῷ μουσείῳ συσσίτοις. τὸ δὲ μουσεῖον τράπεζα Αἰγυπτία συγκαλοῦσα τοὺς ἐν πάσῃ τῇ γῇ ἐλλογίμους. id eſt, *Hadrianus eum non humilium Gentium Satrapam deſignavit. Item inter viros equo publico donatos, cenſeri voluit, & eos, qui in Muſæo alebantur; Muſæum autem Ægyptium, menſa erat, quæ ex omni terrarum orbe eloquentiſſimos quoſque viros convocabat.* In eo autem fuiſſe ædem, ſive templum in quo Philologi operam darent, cùm illa manifeſto evincunt, quæ de Sacerdote, qui Muſæo ab Ægyptiis Regibus aut à Cæſaribus præficiebatur ex Strabone audivimus; tum, ex inſcriptione Althetica apud *Falconerium* tuum de M. AVRELIO ASCLEPIADE, quæ licet mutila, tibi debetur omnino Vir illuſtriſſime, qui in lucem emiſiſti Μ. ΑΥΡ. ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΗ, &c. id eſt, *M. Aurelio Aſclepiadi Alexandrino Hermapolitæ pancratiaſtæ per odonicæ*, (invicto quem nemo de ſtatu detrudere poterat non provocato) *Neocoro magni Sarapidis, & qui in Muſæo aluntur, immunium Philoſophorum Pontifici, totius Xyſti perpetuo Xyſtarchæ, & Balneis Auguſti præfecto:* de quo videndæ inſcriptiones Athleticæ; ſed maxime videnda eximia Diſſertatio tua de Prytabæis inter numiſmata Seguini ſelecta, nuper edita, & à te iterum amplianda.

Hæc autem omnia huc congeſſimus, ſicut & alia pleraque deinceps; ut inde liqueat Hadrianum per varias has artes, & ſingulares non ſolùm affectaſſe, ut eximius videretur; ſed etiam tacitè, ſi non adeò apertè, ut ſupra ſortem hominum exiſtimaretur; quamquam enim opera ubique infinita fieri curaſſet, nunquam niſi in Trajani Patris templo nomen ſuum adſcripſit. Romæ inſtauravit Pantheon, Septa, Baſilicam Neptuni, ſacras Ædes plurimas, Forum Auguſti, Lavacrum Agrippæ, eaque omnia pro-

priis, ac veteribus nominibus conſecravit. Fecit & ſui nominis pontem & ſepulchrum juxta Tyberim, quod eſt nunc *Moles Hadriani*, ſeu caſtellum ſancti Angeli, in munimentum urbis, & præſidium maximè ſummorum Pontificum converſa. Ædem bonæ Deæ tranſtulit & coloſſum ſtantem atque ſuſpenſum per *Detrianum* Architectum de eo loco in quo nunc templum urbis eſt, ingenti molimine; ita ut operi etiam elephantes adhiberet; & cum hoc ſimulachrum poſt Neronis vultum, cui antea dicatum fuerat, Soli conſecraſſet, aliud tale *Apollodoro* Architecto auctore facere Lunæ molitus eſt.

In omnibus magnificus fuit *Hadrianus*, ſed maximè in ædificiis; nec ad ea extruenda niſi eximiis artificibus utebatur, cum judicio eſſet exquiſito. Baſilicam apud Nemauſum opere mirabili extraxit in honorem Plotinæ (quam vocant vulgo *Domum Quadratam*) eo tempore, quo moverunt Judæi bellum, quod vetarentur mutilare genitalia; & cum compoſitis in Britannia rebus, tranſgreſſus in Galliam, Alexandrina ſeditione turbatus, quæ nata eſt ob *Apim*, qui cum repertus eſſet, poſt multos annos turbas creavit apud quem deberet locari, omnibus ſtudioſe certantibus; unde multa numiſmata *Antinoi* in averſa parte *Bovem* repræſentant, inter quæ præſtat præclarum illud maximi moduli cujus inſcriptio CΜΥΡΝΑΙΟΙC ΠΟΛΕΜΩΝ ΑΝΕΘΗΚΕ.

Polemon



POLEMON Sophiſta Laodicenus Hadriano Imperatori cariſſimus fuit, civitatéque donatus à Smyrnæis, de quo ſic *Philoſtr. lib.*10. *de vitis Sophiſtarum. Multi eum ſummi viri, multæque civitates amarunt, præſertim Smyrna: huic & poſteris datum eſt in Hadriani Olympiis præſidere. Hadrianum erga Epheſios propenſum ad Smyrnæorum favorem uſque adeo pellexit, ut uno die mille myriadas in illorum civitatem impenderit, ex quibus Emporia, Annonæ, & Gymnaſium omnium quæ in Aſia ſunt præſtantiſſimum, conſtructa ſunt; item templum in promontorio ſitum longiſſimi proſpectus*, &c. Ex quibus impenſis colligendum eſt, ſi non conditorem Smyrnæ ut *Alexander*, ſaltem inſtauratorem & decoratorem maximum (ut diximus ſupra) extitiſſe *Hadrianum*; unde à Smyrnæis ſummis cultus honoribus, ſicut & *Antinous*.

Idem Sophiſta *Polemon* nummum Hadriani cudi curavit Smyrnæis inſcriptum in cujus averſa parte *Homerum* (cujus natalitiis gloriantur Smyrnæi) ſedentem cum haſta exhibet & cum hac epigraphe ΠΟΛΕΜΟΝ CΜΥΡΝΑΙΟΙC ΑΝΕΘΗΚΕ. Ex quo ſane conjiciendum non ita (ut creditum eſt) adverſatum fuiſſe Homero Hadrianum; utpote qui ejus loco Antimachum poëtam introducere voluerit

(ut ait Suidas :) ſi enim de hoc omnino perſuaſus fuiſſet Polemon ; male & perperam Imperatori adblanditus fuiſſet. Nummus hic diligentiſſimum quamvis antiquitatum ſcrutatorem *Cuperum* tuum fugit *in elegantiſſima Homeri Apotheoſi*, cujus olim marmor in Columnenſium palatio Romæ vidimus cum præſtantiſſimo Pictore Nicolao Puſſino, qui illud pluris faciebat.

Hunc autem nummum hîc exhibemus, quod in rem noſtram optime cadat, & parallelum noſtrum perfecte illuſtret; maxime vero, quod ex Oriente nobis advenerit, & ex ipſo natali ſolo ſummi Poëtæ ; utpote quem feliciter ultimi terræ motus Smyrnenſium calamitas ex multis aliis rariſſimis nummis, & antiquitatibus ibi abſorptis reliquum fecit clariſſimo Antiquario *Gallandio*, ex hac etiam (ſummo rei antiquariæ bono) feliciter erepto; atque utinam ex hac evaſiſſet etiam alius Hadriani nummus cui inſcriptio (ut nobis retulit) ΗΡΩΑ ΑΔΡΙΑΝΟΝ, inſtituto noſtro Idonea.



De Smyrna & Homero ſic *Plinius lib. 4. cap. 12. habet Smyrna Bibliothecam & Homereum, & porticum quadratam, cum Homeri templo & ſtatua ; nam & hi maxime hunc poëtam ſibi vendicant, unde & nummus quidam apud eos* HOMERVS *vocatur*.

Inſcriptionem affert *Sponius in Itin. Athen.* Smyrnæ reper-

tam, quæ Hadrianum non ſolum ut hujus urbis inſtauratorem; ſed & velut alterum ab Alexandro conditorem commendat,


ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΙ
ΑΔΡΙΑΝΩΙ
ΟΛΥΜΠΙΩΙ CΩΤΗΡΙ
ΚΑΙ ΚΤΙCΤΗΙ

Alexandriæ urbem inſtauraſſe etiam Hadrianum ſatis ubique Scriptores & nummi probant, ſatiſque ſupra diximus, ut ſupervacaneum ſit de his amplius verba facere.

Sed nullum mirabilius opus exædificavit Hadrianus villa Tyburtina ſuo nomine *Hadrianæa* vocata, & ex qua ſola divinos honores ſibi meritus videtur: ſi enim (ut diximus ſupra) conditoribus urbium illos elargita eſt antiquitas; quanto magis debuit principi, qui in hac villa & provinciarum & locorum celeberrima nomina inſcriberet, velut *Lycæum*, *Academiam*, *Prytanæum*, *Canopum*, *Pœcilem*, *Tempe* vocaret; & ut nihil prætermitteret etiam *inferos* finxit. Ibi parum abfuit cum ſecunda vice hanc villam perluſtrarem cum quibuſdam amicis, quin marſupium noſtrum, (ſi non vitam ipſam) reliquerimus, in ipſomet Hadriani Palatio, ſeu potius ruinis ipſius, latronibus ibi habitantibus, & nobis obviam factis, qui ſub ſpecie ibi nos reficiendi, mali aliquid in nos moliti fuiſſent, niſi datum nobis ab hoſpite noſtro Tyburtino itineris ducem habuiſſemus.

Si non hîc præclara hujus monumenti ædificia omnia, & maxime ſuperbum & fama celebre *Canopi* templum vacat exhibere, ipſum ſaltem Deum *Canopum* & uxorem ejus *ab Epiphanio Eumenitem* nuncupatam effingamus, quos Iſidi & Serapidi opponamus; prout conſpiciuntur in nummo Ha-

driani ſingulariſſimo ex ære maximo, cujus copiam nobis fecit Clariſſimus *Rigordus* Maſſilienſis de antiquitate benemeritus. Meminit Patinus in Theſ. Morocenico nummi *Veri* Imp. nec typum affert, inter quem & noſtrum nonnulla intercedit ſimilitudo; duo enim Canopi in averſa parte intermedio Harpocrate, infra quem Aquila alis expanſis, hîc ſine Harpocrate & ſine Aquila.



Eximium hoc Hadrianææ villæ monumentum vix octoginta annis ſuperfuit, mox enim ubi in locum Hadriani Antoninus Pius ſucceſſit: cum de modo cogitaret novas in urbe thermas excitandi, & villæ prærerea ab Hadriano paulò ante extructæ aſpectu minus caperetur, quidquid in eadem villa pretioſum reperit, in ſuarum thermarum ſplendorem contulit. Quam deinde villam Gothi, & poſtea varii caſus in ultimam vaſtitatem dederunt; ita ut à villa condita uſque ad ultimam ejus ruinam nonniſi 80 anni (ut diximus) interceſſerint.

Hujus præſtantiſſimi monumenti Icnographiam nobis conſervavit Eminentiſſimus litterarum aliàs fautor *Franc. Barberinus*, quam poſtea incidi in æs juſſit, publicamque fecit, cum explicatione locorum, & rerum, cujus exemplar ad me tranſmiſit per Illuſtriſſimum *Suareſium* mihi olim amicitia conjunctiſſimum. Abſit autem verbo invidia,

Vir Illuſtriſſime, ſi dicam me præclari hujus monumenti in lucem edendi, occaſionem dediſſe Eminentiſſimo Cardinali, impellentibus me ad hoc (ut ſcis) Viris quibuſdam eruditis, ſed maxime Celeberrimo *Kirkero*, qui de hoc litteris ad me ſcriptis gratias mihi egit, illudque in Latio ſuo repoſuit, ubi fatetur præclarum hoc monumentum deberi ſtudio & curis quorumdam Eruditorum.

Ex his, inquam, monumentis & ſtupendis Hadriani operibus, facile eſt conjicere, quanta fuerit illius ambitio, quam ſi non ita palam emergere paſſus, ſicut Alexander Deum ſe faciendo motu proprio; permiſit tamen multa cudi numiſmata ad inſtar noſtri, quæ divinitatem ſibi tribuerent. Permiſit & Græcis ut templum ſibi ponerent, quod *Panhellenium* nominarunt.

Quin etiam dum viveret affectaſſe divinitatem Hadrianum omnino arguit, quod ex *Spartiano* ſupra tetigimus; immo quod *Theodoretus* in θεραπευτ. *ſerm.* 8. *de martyr. pag.* 605. his verbis καὶ τοι τινὲς τῶν ἀνοήτων, καὶ θεοὺς σφᾶς ἀντιγορεύσαν, καὶ ναοὺς ἑαυτοῖς ᾠκοδομήσαντο, καὶ γὰρ Ἀντίοχος ἐπεκλήθη θεὸς, καὶ Γαῖος ὁ Τιβερίου διάδοχος, καὶ Οὐεσπασιανὸς, καὶ Ἀδριανος μεγίστους ἑαυτοῖς ναοὺς ᾠκοδόμησαν· ἀλλὰ ξὺν τῇ ζωῇ, καὶ τὴν δυσσεβῆ τιμὴν ἀφῃρέθησαν. *Et horum ſtultiores quidem fuerunt, qui ut Deos ſeſe pronuntiarint, ſibique ipſis templa conſtruxerint; nam & Antiochus Deus vocatus eſt, & Caius qui Tyberio ſucceſſit, Veſpaſianus quoque & Hadrianus ingentia ſibi templa excitarunt, ſed impio ſimul honore cum vita privati ſunt.*

Alio id etiam argumento convinci videtur, ex corona nempe radiata numinum propria capiti Hadriani in pleriſque nummis impoſita; de quibus coronis multa clariſſimus *Baudelotius* in eleganti Opere de utilitate ex peregrinationibus capienda congeſſit. Hîc exhiberi poſſet, de quo loquuti fuimus in Præf. nummus Hadriani cum corona radiata, cujus averſa pars æternitatem repræſentat unâ ma-

nu ſolem tenentem, alterâ lunam; ſed quia nummus Latinus eſt; nec niſi Græcos hîc exhibere ſategimus; opportune nobis Clariſſimus *Rigordus* Maſſilienſis ſupra laudatus ſuppeditavit Græcum argenteum majoris formæ, in quo Hadrianus cum corona radiata & hac inſcriptione ΑΡΙ. ΚΑΙ. ΑΡΙΣΤΟΥ. ΚΑΙΣΑΡ. &c. hoc eſt *Optimi Cæſaris divi Trajani Parthici filius Nerva Trajanus Hadrianus Auguſtus Pater Patriæ.* Sabina in averſa parte cum hac inſcriptione CΑΒΕΙΝΑ. CΕΒΑCΤΗ. ΑΔΡΙ. ΤΑΡΣ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC. Α Κ. hoc eſt. *Sabina Auguſta Hadrianeæ Tharſi metropoleos primæ Ciliciæ.*



Quam verò vehemens in Hadriano fuerit (quod ſtrictim & velut opportunitate data dictum velim) peregrinandi quod explevit deſiderium, norunt omnes, qui vitam ejus legerunt; ex quo non male item exæquandus venit cum Alexandro M. cujus peregrinandi ſtudio, ne unus quidem orbis ſatis fuit. Res ſane optabilis & expetenda foret; ut de erroribus ſuis, & quæ ex his utilitas capienda, nobis aliquid ſcripto tradidiſſent hi ſummi Principes; maxime vero Hadrianus, cui ſtylus & ratio ſcribendi magis in promptu. Nulli enim de rebus melius, quàm qui has oculis conſpexerunt, nulli de artibus, quam ipſi artifices, & qui illas profeſſi, rectius loquuntur, aſſerente Quintiliano, *felices futuras artes, ſi ſoli artifices de iis judicarent.*

Extiterunt nihilominus, qui & de artibus ſcripſerunt optimè, nec tamen artifices. Quis elegantius, quis doctius de pictura, ſcripſit? Quis cum majori & profundiori eruditione, quam *Franc. Iunius* in eximio opere *De pictura veterum?* quod infinitis acceſſionibus auctum, & cum non hactenus edito commentario de vitis & operibus Pictorum & Statuariorum veterum, hortante me, vir de re litteraria omnium meritiſſimus, & bonarum artium inſtaurator maximus *Joan. Georgius Grævius* nuper ab heredibus Junii impetravit.

Quis de antiquitatibus Romanis plus meruit, quàm qui Romam numquam profectus eſt *Nicolaus Bergerius Rhemenſis*, ex eruditiſſimo nempe libro, quem de viis magnis Romanorum compoſuit? Hunc Gallicè ſcriptum in ſermonem Latinum transferri nunc in Italia, ibique typis mandatum iri audio, cum acceſſionibus plurimis, videlicet *Itinerarij Antonini Tabulæ Peutingerianæ*, & aliis ejuſmodi operi præſtantiſſimo perficiendo idoneis.

Hæc ideo dixi, Vir illuſtriſſime, quo clariſſimum *Baudelotium* ſuprà laudatum, à quorumdam dicteriis liberem, qui de titulo libri illius parum contenti arbitrantur non poſſe de rebus diſſerere quempiam, niſi qui ipſas viderit, nec de peregrinationum utilitate, niſi qui tanquam alter *Vlyſſes* multum fuerit peregrinatus, populorumque mores & urbes ex conſpectu noverit. Poterat equidem, ut ingenuè fatear, magis idoneum libris ſuis titulum imponere *Baudelotius*, quod & ſpero ipſum facturum in ſecunda illorum editione, quam pluribus acceſſionibus curioſis admodum & eruditis auctam parat; multis ibi etiam ſimul & ordine altero & eleganti diſpoſitis & retractatis.


Quanta autem deinde templa in honorem Hadriani conſecrata ſunt, quæ *Hadrianæa* vocabantur, *ubi ſodales Hadrianales*, & *Collegia Hadrianalia*, non eſt facilè enumera-

re. Narrat *Epiphanius* templum Hadriani; quod Alexandriæ fuerat ejus honori dicatum, verſum poſtea fuiſſe in Gymnaſium Licinianum; tandem verò à Conſtantino Imperatore ædem ſacram ibi poſitam, & de nomine *Gregorij Meletiani* appellatam: ita paulatim à Chriſtianis in pios uſus converſa omnia iſtius παρεγγράπτε cœlitis templa; diu tamen eorum memoria duravit, & nomen; ut illius Cyziceni, cujus meminit Cedrenus. Mirum verò eſt, quod in *Alexandro Severo* de his templis narrat *Lampridius* ſua ætate in omnibus civitatibus (vivebat autem ſub Diocletiano) *Hadriano* fuiſſe templa, ſine numine, ſine ſimulachro, quæ ideo vulgus putaret in *Chriſti* honorem ab eo Principe fuiſſe extructa. Qui vulgi error ex hoc manavit, quod quæ juſſerat *Hadrianus* templa fieri in omnibus Civitatibus ſuo nomine ſine dubio conſecranda, manſere illorum pleraque imperfecta, neque umquam dedicata ſunt. Talia ædificia in pleriſque Civitatibus adhuc *Lampridij* ætate extabant inchoata ſolùm, ut ait ipſe, & ſine numine, ſine ſimulachro ullo; hinc factum, ut in animum inducerent multi, quibus aſſentitur *Lampridius*; non ſibi Hadrianum illa templa erexiſſe, ſed Chriſto.

Etſi hîc nobis (ut diximus) non ſit ſermo de conſecratione proprie dicta, ſive de ἀποθεώσει, cujus rationem Romani deſumpſerunt à *Romulo* ſeu *Quirino*, qui primus illorum (ut ſupra notatum) inter Deos relatus eſt, nihilominus tamen dicendum pleroſque Imperatorum à Cæſare Auguſto, conſecratos eo ritu, qui apud Herodianum & Dionem præcipue videndus; qui ritus licet ſtolidus planè, neceſſarius tamen omnino illis imperii temporibus videbatur: ſiquidem imperante uno ſolo, & Majeſtatem imperii repræſentante, non ſufficiebant tituli illi ſpecioſi quidem Tribunitiæ poteſtatis, & Conſulatus, nec etiam ſummi Sacerdotii, & alii, ad frænandos populos, totumque terrarum

rum orbem regendum, niſi etiam ultimo deorum vices dum viverent, obire dij ipſi poſt mortem futuri crederentur.

Buſtorum autem ſeu Rogorum, qui in nummis conſpiciuntur tranſiit uſque ad nos forma & figura, qua utuntur etiamnum hodie, ſed mutato aliquantum ritu Magnates ac Principes. Hæc vocant Itali *Catafalchi*, de cujus nominis etymologia videndus omnino etymologorum Princeps *Menagius* in ſuis linguæ Italicæ originibus. Figuram illorum exhibeo.



Auguſtus autem primus uſum & ceremonias conſecrationis Imperatorum apud Romanos introduxit; unde à *Iuliano in Cæſaribus* Κοροπλάϛης indigitatur, quo de nomine multa erudite tuo more in Cæſaribus Juliani à te in ſermonem Gallicum converſis. Audiendus de hac conſecratione *Suetonius* eximius ſcriptor cum ſic ait. *Nervam lachrymis Trajanus, primum, mox templis honeſtavit, non imitatus illos, qui hoc idem; ſed alia mente fecerunt; dicavit enim cælo Tyberius Auguſtum; ſed ut majeſtatis numen induceret, Claudium Nero, Veſpaſianum Titus, Titum Domitianus, ſed ille ut filius, hic ut frater videretur.* De Claudio argutè *Juvenalis Satyra 6.*

Ille ſenis tremulumque caput deſcendere juſſit
In cælum.

Ubi vetus Interpres *in cœlum* ait pro *ad inferos*; cujus honorem à Nerone ipſi deſtitutum, abolitumque reſtituit Veſpaſianus. *Suetonius in Claudio cap.* 45. novos deinde & adſcriptitios cives in cœlum adulatio recepit, & pulvinaribus, aris, columnis, templis, flamine, ludorumque celebritate & natalium cumulavit; nam ad Placidum, Valentinianum uſque Imperatores Divi facti ſunt cum liberis, & uxoribus pleriſque; ut nummi veteres & lapides probant.

Modeſtia equidem Marci Antonini laudatur, cum ſeptennem filium amiſiſſet, quod juſſerit, ut ſtatua tantummodo mortuo decerneretur, imagóque aurea Circenſibus per pompam ferretur, ut ſaliari carmine nomen ejus inferretur. Hæc *Capitolinus in vita ejus*, quæ tamen certiſſima conſecrationis indicia fuerunt; quæ adeo vulgata eſt ut ad *Pellices* & *Cynædos* aulicos porrigeretur. De *Druſylla* ſcorto ſcribit Dio *lib.* 57. immortalitatem ei decretam, eoſdemque honores quos *Veneri*; utque mulieres per ejus nomen jurarent, quoties aliquid jurejurando confirmarent, illamque PANTHEAM vocatam, atque per omnes urbes cultam. Sic PANTHEVM *Auguſtum* veteres lapides vocant.

PANTHEO. AVG.
SACRVM
L. LICINIVS. ADAMAS.
LIB. FAVST. II. VIR AVG.

Mortuo Hadriano multa à multis in eum ſunt dicta. Acta illius irrita fieri Senatus volebat,nec appellatus eſſet DIVVS niſi *Antoninus* rogaſſet: templum denique ei pro ſepulchro apud *Puteolos* conſtituit, & quinquennale certamen, & flamines, & ſodales, & multa alia quæ ad honorem quaſi numinis pertinerent: quare multi putant ob hæc Antoninum

Pium dictum; vel quod cum ob leves offenſas plurimos occidi juſſiſſet *Hadrianus*, eoſdem *Antoninus* ſervarit incolumes.

Non hîc damus typos omnes divum celebrantes Hadrianum, neque inſcriptiones inter quas inſignis illa Smyrnâ allata, quæ inter marmora *Arundeliana*, nunc *Oxonienſia* ΘΕΟΥ ΑΔΡΙΑΝΟΥ mentionem facit; hæc enim omnia eximius ſcriptor à quo vitam Hadriani expectamus abunde exponet.

Conſecrationes Imperatorum conſecutæ ſunt Auguſtarum, ſororum, nutricum, filiorum, amaſiorum, & amaſiarum. Duæ etiam fœminæ ſtante rep. Divæ factæ reperiuntur ACCA LAVRENTIA & FLORA, hæc ludorum editione culta, quæ *floralia* dicta, illa ſolemni ſacrificio celebrata, cui *feriæ accaliæ* dicatæ.

Sed quid mirum ſi & Hadrianus equum ſuum *Boryſthenem* quodammodo conſecravit, cui mortuo, & ſepulchrum fecit, columnam erexit, & Epigramma inſcripſit quod & tum extare in Gallia, urbe *apta Julia* audio, nec ſuppoſititium eſſe, ut volunt quidam. Vidi aliàs Romæ elegantiſſimum *mulæ* (nec ſcio an ſuppoſititium, an non) in vinea tunc *Labornæa* dicta prope portam Salariam vico dicto vulgò ad tres Dominas, Itali *alle tre Madonne*, diverſum ab illo, quod in agro Sabino *Porcachius lib. de funer.* ait obſervaſſe in marmoreo fragmento, cui titulus DIS PEDIBVS SAXVM, reliqua non moror; ſed magis *Boryſthenis* urget inſcriptio quæ talis

BORYSTHENES. ALANVS.
CÆSAREVS. VEREDVS.
PER ÆQVOR. ET PALVDES
ET TVMVLOS. ETRVSCOS.

VOLARE. QVI SOLEBAT.
PANONNICOS NEC. VLLVS
ILLI. APROS. INSEQVENTI
DENTE. APER. ALBICANTI.
AVSVS FVIT NOCERE.
VEL. EXTIMAM SALIVA.
SPARSIT. AB. ORE. CAVDAM.
VT SOLET EVENIRE.
SED. INTEGER. IVVENTA.
INVIOLATVS. ARTVS.
DIE SVA PEREMPTVS.
HOC. SITVS EST IN AGRO.

Poſt inſcriptionem Boryſthenis & epitaphium, nummum etiam illius hîc afferamus; ut nihil habeat *Bucephalus* quo ſupra *Boryſthenem* ſe poſſit extollere. Hujus nobis typum deſumere liceret ex *lib. de nummis Impp. Menetrei Divionenſis*, cujus & forſan fuit olim nummus noſter PANTHEVS; cum hunc ſe habere in Muſæo ſuo ibidem glorietur, inventumque à me fortuito Divione, in præfatione dixerim. Sed cum hic nummus Boryſthenis falſitatis ſuſpectus ſit, ob multa nempe; ſed maxime ob litteras Græcas Latinis permixtas in adverſa parte ad caput Hadriani Laureatum apud Occonem pag. 239. ſic KAISAR SEMNOS AΔPIANOS; deficientibus autem Menetrio characteribus Græcis totam inſcriptionem Latinam fecit. CÆSAR VENERABILIS HADRIANVS. In averſa autem parte BORISTHENES. Hunc ſupra

quoddam altare 10 aut 12 columnis fultum, & ante aram cui ignis impoſitus, pedem erigentem collocat; in quo monumento plus honoris tribuitur *Equo* Hadriani quam ſummo Poëtarum *Virgilio*, cujus ſepulchrum apud Neapolim novem tantum columnis olim fultum fuiſſe fertur. Huic igitur pſeudonummo alium ſubſtituimus, de quo in Antinoo, ubi *Pegaſum*, *Boryſthenem* adumbrare non malè (ut quidem exiſtimo) auguramur.



CAPUT IV.

SABINA.



SABINAM conſecratam, divamque factam, nummi plerique probant tàm Græci, quàm Latini, ut videre

eſt imprimis in elegantiſſimo ex Triſtano ſupra allato, in cujus averſa parte templum à Bythinienſibus ipſi conſecratum, ubi tres figuræ; quarum media ipſa *Sabina* Deæ habitu (credo pudicitiam) cujus capiti Pallas coronam imponit; ex alia parte Juno, ſicut ſupra vidimus in nummo Hadriani, ubi *Jupiter Philalethes* (qui videtur adumbrare Imperatorem) medius inter Junonem ſeu Iſidem & Palladem conſtituitur; niſi maluerimus (ut diximus) inter ſapientiam & veritatem Jovis ex æquo filias.

Pauca quidem de Sabina referunt Hiſtorici. Cum Hadriano exoſa eſſet, nec ſine fabula veneni dati ab Hadriano defuncta ſit, referente id *Spartiano*, aliiſque, idque ob mores ejus auſteros, moroſamque animi temperiem, parum Imperatori gratam: tum ob ſuſpiciones illi injectas, & falſos rumores de ejus amoribus, & familiaritate cum *Sulpitio Claro* Præfecto prætorii, *Suetonio tranquillo*, multiſque aliis, qui apud Sabinam familiarius agebant, Hadriano prohibente; quin ipſam dimiſſurus erat (ait hiſtoricus) ſi privatus fuiſſet.

Nullum ex Hadriano habuit filium Sabina, palamque jactabat, quam immane ingenium Hadriani pertuliſſet, & quod magnopere elaboraſſet, ne ab eo in perniciem generis humani gravida fieret.

Nullo vero (ut opinor) eguit vel uſa eſt, amuleto Sabina, ſicut uſa traditur *Iſis* (ſub cujus figura adumbratur in nummo noſtro) cum *Harpocratem* in utero gereret, referente *Goropio Becano in Hermathena*, ubi explicare tentat ſuo more Rabbinico, quid ſit VRIM & THVMIN; quærentique ſibi, ecquid è ſacris Ægyptiorum ritibus emulgere poſſet, quod ad hanc vocum faceret interpretationem, *Harpocratis natales* ſibi in mentem veniſſe (ait) qui ad Brumam natus eſſe traditur; & quem dum diligentius conſiderat, invenit Iſidem, dum in utero hunc fœtum gereret,

Phylacterium ſibi appendiſſe, quo felix, fauſtuſque partus eſſet: illud autem Amuletum non aliud fuiſſe quam ſcriptura, qua *vera vox* φωνὴ ἀληθής notaretur, aſſerit ex Plutarcho; cætera apud Goropium videat lector animi recreandi gratia. Hæc pauca ſufficiant, ad quæ digreſſi fuimus, non ſolum ut diſſertationem noſtram circa Sabinam aliqualiter illuſtraremus; ſed ut præcipue oſtenderemus quanta cum ratione eximius author *diſquiſitionis de veritate* Rabinos ſuggillarit, & quantum ex altera parte præſumant de ſe quidam novatores, qui contra traditiones antiquas, ſuas nobis ingerere geſtiunt. Quamquam nolim opinari Hebraïcam linguam & exoticas alias adeo inutiles ut vult ſubtilis diſquiſitor; imò maximè utiles exiſtimo. Unicum te ad hoc arbitrum poſtulo, Vir Illuſtriſſime, qui omnes ferme optime calleas, nec minus linguis, quam nummis pretium imponere valeas.

Verum occurrendum ſcrupulo quorumdam Antiquariorum, quibus aliqua Religio viſa eſt *Antinoo* opponere *Sabinam* fœminam alioqui, ut diximus, auſteram & moroſam, cujus proinde indignatio non incurrenda; ſatiuſque fuiſſe Antinoum adumbratum per Harpocratem filium dilectum Iſidis, matri ſuæ duntaxat opponere: nec idcirco volunt numina *Serapidis* & *Iſidis* adumbrare in nummo *Hadrianum* & *Sabinam*; ſed pace illorum dixerim, conjecturam noſtram vero propius, quam veroſimili accedere; nam præterquam quod eadem vultus lineamenta obſervanda in Iſide, quæ in Sabina; eadem etiam fere in Serapide, quæ in Hadriano excepta Barba denſiore, quam & in quibuſdam ipſius nummis æque denſiorem cernere eſt. (*Primus Imperatorum Romanorum barbam aluiſſe fertur Hadrianus; ſicut Alexander Magnus primus qui ad cutem eam detonſit: quod forſan unicum, in quo diſſimiles fuerint hi Principes,*) quod obiter notandum.

Numina autem ipſa ut plurimum integra à capite ad calcem repræſentari ſolent, cum perſonas non adumbrant; cum vero adumbrant ἐν προτομῇ plerumque ut in noſtro, quod exemplis non caret. Adde quod ſi *Antinous* ſub figura Harpocratis intelligendus; non minus etiam *Hadrianus* & *Sabina* intelligendi ſub figuris *Serapidis* & *Iſidis*; hæc enim mens, & ſic interpretanda Alexandrinorum in cudendo numiſmate *Pantheo*, quo adulationi indulgerent magis, non ſolum *Antinoum* inter numina collocando; ſed etiam *Hadrianum* ipſum, & uxorem ipſius. Hæc veriſimilior; ne dicam verior interpretatio. Φωνὴ ἀληθὴς ulteriore non eget argumentatione; nec alio quam ſeipſa φιλαληθρίω veritas.

CAPUT V.

ANTINOUS.



INter tot Antinoi numiſmata elegantiſſima nullum magis idoneum exhibendum hîc duximus, quam ſupra allatum ex Muſæo *Droniano*, & à *Mediobarbo* ex *Fredericiano* adductum in *Antinoo* cujus unius dumtaxat in collectione ſua, Græca numiſmata exhibuit; ſi quidem nulla illius Latina

Latina extant. Quamvis autem non careat ſuſpicione falſitatis alicujus nummus iſte; cum nihilominus veritate nitatur hiſtorica, nulla religione prohibiti fuimus hîc illum exhibendi. In hoc enim videre eſt templum pulcherrimum, quod referunt ab Hadriano, in honorem Antinoi ſub nomine & figura *Anubis* Ægyptiorum Dei cum canino capite in *Achaia* conditum; quaſi *Mercurius* alter ab Imperatore æſtimaretur *Anubis*, deorumque fidus ſatelles, & vigil cuſtos, cui *Antinoum* ſuum exæquat: Ex quo etiam colligimus ea mente & conſilio ab Hadriano ædificatum hoc Antinoo templum, ut omnibus innoteſceret hunc, dum viveret, ſemper ut Genium, & cuſtodem optimum, imo velut Deum ſuum tutelarem habuiſſe; nec minus poſthac etiam habiturum Deorum jam numero adſcriptum. Hic ſub inſcriptione Sacerdotis ſui *Hoſtilij Marcelli* (de quo infrà) repræſentatur *Antinous* ΟϹΘΙΛΙΟϹ ΜΑΡΚΕΛΛΟϹ Ο ΙΕΡΕΥϹ ΤΟΥ ΑΝΘΙΝΟΟΥ. id eſt, *Hoſtilius Marcellus ſacerdos Antinoi.* In averſa verò & poſtica, ΑΔΡΙΑΝΟϹ ΩΚΟΔΟΜΗϹΕΝ id eſt *Hadrianus ædificavit.*

Non eſt mihi animus hîc congerere cuncta, quæ de Antinoo ab autoribus fuſe tradita ſunt; ſed ea duntaxat, quæ ad conſecrationem ſpectant, nummumque noſtrum; quod ut rectè faciamus pauca hîc ex Aurelio Victore prælibanda de Hadriani ſtudiis, maximè vero de amoribus ejus erga Antinoum. *Hadrianus*, (inquit hic ſcriptor) *uti ſolet tranquillis rebus remiſſior, Rus proprium, Tybur ſeceſſit, permiſſa urbe Lucio Ælio Cæſari, ipſe uti beatis locupletibus mos, palatia extruere, curare epulas, ſigna, tabulas pictas, poſtremo omnia ſatis anxiè proſpicere, quæ luxus, laſciviaque eſſent; hinc orſi rumores mali, intuliſſe ſtupra puberibus, atque Antinoi flagraſſe famoſo miniſterio; neque alia de cauſa urbem conditam ejus nomine, aut locaſſe Ephebo ſtatuas: quæ quidem alij, pia volunt, religioſaque; quippe Hadriano cupiente fatum produce-*

re, cùm voluntarium ad mortem magi popoſciſſent cunctis reluctantibus Antinoum objeciſſe ſe referunt, hincque in eum officia ſuprà dicta: nos rem in medio relinquemus: quamquam in remiſſo ingenio ſuſpectam æſtimantes ſocietatem ævi imparilis.

Ex his liquet, quod quæ fecerat *Alexander* circa *Hephæſtionem*, non minus ridiculè fecerit *Hadrianus* circa *Antinoum*, ut patet etiam ex Spartiani dictis, *& Græci quidem* (ait) *volente Hadriano eum conſecraverunt, oracula per eum dari aſſerentes, quæ Hadrianus ipſe compoſuiſſe dicitur; fuit enim poëmatum & litterarum omnium ſtudioſiſſimus*, &c.

Hinc quoque *Hieronymus in Hegeſippo* tumulos mortuis, templaque fecerunt, ſicut uſque hodie videmus, è quibus eſt & Antinous ſervus Hadriani Cæſaris, cui & Gymnicus agon exercetur apud Antinoum civitatem, quam ejus nomine condidit, & ſtatuit Prophetas in templo; quod teſtatur inſignis Inſcriptio Græca nota omnibus.

ΑΝΤΙΝΟΩ
ΣΥΝΘΡΟΝΩΤΩΝ
ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩ ΘΕΩΝ
Μ. ΟΥΑΠΙΟΣ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ
ΠΡΟΦΗΤΗΣ

Hiſce omnibus illuſtrandis admodum faciunt verba *Origenis contra Celſum, lib.* 3. ἀλλὰ καὶ εἴπερ φιλαλήθως καὶ ἀδικάστως τὰ περὶ τὸν Ἀντίνοον ἐξετάζοι, &c. id eſt, quamvis ſi quis incorruptè veritatem ſequutus in rebus Antinoi, nihil inveniet præter prodigioſa quædam Ægyptiorum myſteria, cur ille miracula apud Antinopolim edere debeat videri jam defunctus; quod utique & in aliis fanis ſpectatur ab Ægy-

ptiis, & aliis ejuſmodi impoſtoribus, effectum, dum in aliquo loco domicilium ſtatuunt dæmoni fatidico, aut medico nonnumquam & tortori, qui cruciat aliquos parum diligentes in obſervandis ſuis ſuperſtitionibus; puta guſtantes cibos vetitos, aut tangentes humanum cadaver, quo terrent imperitam multitudinem; talis eſt & is qui apud Antinopolim ab Ægyptiis pro Deo colitur, de quibus virtutibus fabulantur quidam, quibus inde quæſtus eſt. Sicut alii rurſum prædicant, eum deceptum à dæmone loci hujus præſide; aliique ſibi ſcelerum conſcii, putant ſe diris agi, *torquerique ab Antinoo.* Ejuſmodi ſunt etiam myſteria, quibus initiantur μαντεῖα, unde oracula reddi putantur, res longe alia quàm *Jeſu Religio*; hunc enim, non Magi Regis alicujus, aut Imperatoris juſſu in unum coacti, Decreto ſuo retulerunt Deorum in numerum, &c.

His addamus verba *Tertulliani Apol. cap.* 13. *ſed nulla rabies*, inquit, *Hadriani inſaniam adæquavit, qui Antinoum de Pedagogiis aulicis edixit Deum; neſcio quem Cynædum de Pedagogiis aulicis Deum facitis*, ubi liber Puteani inquit *Salmaſius* habet, *Neſcio quem Synodi Deum facitis*; id eſt in Synodum & Collegium Deorum cooptatis. Sic *Collegium Deorum* in veteri inſcript. ſicut & *Concilium* & *Conſeſſus*; ſic σύνοδος μυστῶν in antiquo monumento *Collegium Myſtarum*; quæ omnia ſynonyma. Exiſtimavit aliquando *Salmaſius* Synodi Deum factum dici Tertulliano Antinoum, quem Xiſtici tanquam Deum colerent, cum Ἀντινοεῖα celebrarentur in honorem Antinoi, eique ſacra fierent à Xyſticis, qui in eo agone certaturi erant; ſed fruſtra ſic opinabatur (ut ait) nam Deum συνόδου fieri dicitur Tertulliano, qui in Synodum & concilium Deorum cooptatur.

Qui autem de hominibus in Deorum numerum referebantur, inquit idem *Salmaſius* ad Spartianum, hi πάρεδροι Deorum fieri dicebantur & σύνθρονοι, quaſi aſſeſſores, &

eadem ſede præditi cum cæteris Diis, quos maximos appellabant; in quorum numerum, qui ex hominibus referebantur, hi Πάρεδροι τῶν μεγάλων Θεῶν dicebantur ut ſupra.

Demades (de quo antea) cùm de conſecratione Alexandri in Concione apud Athenienſes ageret ἐψηφίσατο θεὸν τὸν Ἀλέξανδρον τρισκαιδέκατον, hoc eſt, πάρεδρον τῶν δώδεκα Θεῶν, ut Ælianus narrat. *Lucianus* de Hephæſtione Diis adſcripto καὶ τέλος ἔθυον Παρέδρῳ, καὶ Ἀλεξικάκῳ Θεῷ; quæ congruunt cum ſuperiori noſtra inſcriptione in qua σύνθρονος ἐν Αἰγύπτῳ Θεῶν Antinous appellatur, σύντρονος enim & Πάρεδρος idem, aut valde affine. Habet alia inſcriptio θεοῖς Ἀδέλφοις συνθρόνοις ἐν Αἰγύπτῳ Θεοῖς. Sciendum vero inquit, Salmaſius, unicuique Deorum ſuos attributos Παρέδρυς matri Deûm Idæos Dactylos. Æſculapio ὑγιεῖαν, ἰάσω, καὶ τελέσφορον; ſic aliis alios aſſeſſores aſſignatos fuiſſe liquet.

Perdidit autem Antinoum Hadrianus dum per Nilum navigaret, muliebriterque illum deflevit, de quo varia fama eſt (ait Spartianus,) aliis eum devotum pro Hadriano aſſerentibus, aliis *Catamitum*, quod & forma ejus (ut idem *Spartianus* innuit) oſtentat, & nimia voluptas Hadriani. Et Græci quidem volente Hadriano eum conſecraverunt, oracula per eum dari aſſerentes; ut nummus Antinoi probat, ubi *tripus* cum ſerpente qui vetuſtioris Theologiæ ſymbolum. Angues enim ΘΕΟΥΣ ΣΩΤΗΡΑΣ eſſe & genios nemo neſcit. Hîc cum ſolo *tripode* ex Schedis Vaillantii exhibemus cum hac inſcript. ΑΔΡΙΑΝΗC ΤΑΡCΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC ΝΕΩΚ. Exiſtimat clariſſimus Morellius pro ΝΕΩΚ legendum ΝΕΩ ΠΥΘΙΩ. ut habet nummus ſimilis collectionum ſuarum; quam lectionem confirmare videtur Laurus Apollini ſacrata pendens ex tripode. De hoc nummo loquitur *Conſtant. Landus* in Antinoo; ſed peſſime refert epigraphen.



Non dubitat *Dio* hoc affirmare, & ut verum & certum aſſerere, devotum nempe Antinoum pro Hadriano his verbis εἴτε καὶ ἱερουργηθεὶς ὡς ἡ ἀλήθεια ἔχει.

Obſervavit *ad* 4. *Suetonij Caſaub.* Veterum perſuaſionem hanc fuiſſe, poſſe alicujus produci fata; ſi ejus vicem ſubiret alter velut hoſtia ſuccedanea; multa hujus ſuperſtitionis falſiſſimæ quidem; ſed ex vero manantis exempla, non in Græcorum, & Romanorum ſolùm hiſtoriis; ſed & multarum aliarum Gentium barbararum; neque tantùm pro capitibus Principum hujuſmodi permutatio fieri ſolita; verum etiam pro quovis alio. Videndus *Ariſtides* Hadriani fermè æqualis *in ſacrarum* 5. Oportebat autem; ut qui pro alio moriebatur, ultro mortem oppeteret; quod & in victimis aræ admovendis ſcimus ſervatum.

Aurelius Victor de Hadriano & Antinoo ſuperius verba faciens. *Quæ quidem*, ait, *alij pia volunt, religioſaque: quippe Hadriano cupiente fatum producere, cunctis reluctantibus Antinoum objeciſſe ſe referunt.* Sacrificium Antinoi homo Paganus vocat *Rem piam & Religioſam.* Multi ex Patribus ut *Athenagoras*, *Juſtinus* & alii ſcriptores antiqui ſacrificium iſtud humanum ſtudio diſſimularunt; non ita vero *Tertullianus*, ut ex ſuperioribus patet, & cæteri omnes Patres, quibus nulla ſilendi ea de re neceſſitas.

Arrianus in periplo Pontis Euxini quem Hadriano conſcripſit, eidem circa Antinoum fœdiſſimè adulatur, cum ſic loquitur Ἀχιλλέα γδ ἐγὼ πείσομαι, &c. id eſt, *Achillem enim ſi quem alium heroa fuiſſe facillime mihi perſuadeo, his ductus conjecturis, quod nimirum & nobilitate, & pulchritudine, animique robore præſtans fuerit, & juvenis admodum vitam cum morte commutarit, & ab Homero egregie celebratus fuerit; denique quod in amoribus, atque amicitiis colendis, atque tuendis ita fuerit conſtans; ut mortem quoque pro amoribus ſuis opponere non dubitaret.*

Cauſam autem cur muliebriter fleverit Antinoum ſuum Hadrianus, ad formam ejus & pulchritudinem, nimiamque voluptatem referunt, ſic loquente Hiſtorico *aliis quod & forma ejus* paulo ante dictum, *oſtentat*, *& nimia voluptas Hadriani*, hoc eſt παιδομανία quod *voluptas* hoc loco ſignificat ubi honeſtè reticuit Scriptor rem turpem, & nec nominandam quidem.

De forma autem & mira oris ac vultus Antinoi dignitate fidem faciunt veteres nummi ſupra allati, gemmæque inciſæ, quæ paſſim in cymeliis, & in Regio præſertim *Ludovici Magni*; ex quo hîc etiam nummum æris medii elegantiſſimum Hadriani exhibemus, in cujus averſa parte Antinous ſingularis pulchritudinis; & quidem potiori jure, quàm ſupra fecerimus, cum deficientibus nummis *Hephæſtionis*, in ejus locum ſuppoſuimus nummum *Antinoi*, in quo *Alexander* adumbratus, ut affinitatem maximè & ſocietatem ſingularem inter hos Principes demonſtraremus.



Huic & alium moduli maximi non minus elegantem de collectione Regia adjicimus, cujus partem averſam in qua bos ſuprà exhibuimus, ubi inſcriptio hæc CMΥP. ΠO-ΛЄMΩN ANЄΘHKЄ. Hîc ſolam adverſam partem exhibeamus in qua ANTINOI caput pulcherrimum.



Quantum verò ad παιδεραστίαν haud ignoras è quindecim primis Imperatoribus, nullum non præpoſtera deteſtabilis hujus fœditatis fama infectum, ut ex hiſtoricis & poëtis patet. Quod non dico, ut Hadrianum ab illa qua laboravit ſuſpicione, aut fœdiſſima labe liberem. Nihil de his loquor, qui hunc ſubſequuti ſunt Imperatoribus, quum ex eorum numero fuerint, qui hanc deteſtati ſunt *M. Aurelius* præſertim, qui *in lib. de vita ſua* Diis gratias agit, quod ſe liberaverit à falſis *Theodoti* cujuſdam & *Benedictæ* lenociniis, τὸ μήτε Βενεδήκτης, μήτε Θεοδότου καὶ ὕστερον ἐν ἐρωτικοῖς πάθεσι γενόμενον ὑγιᾶναι.

Imperatoris hujus eximii res geſtas libro uno elegantiſſimè complexus eſt Libellorum ſupplicum Magiſter, & in ſummo Regis Conſilio Præſes Illuſtriſſimus *Theodericus Bignonius*, in quo & veterum & recentiorum ſcriptorum diligentiam, accurationemque ſuperavit, quòd magnum nu-

merum numiſmatum exquiſitiſſimorum omnis generis, omniſque metalli æreorum, argenteorum, aureorum, magna cura, non minore pretio comparavit, & in ordinem diſtribuit, quibus facta Imperatoris, virteteſque luculentiſſime conſignantur.

Atque utinam liceat ſaltem imitari induſtriam ſingularem Bignonii, in *Commodo* optimi patris peſſimo filio, haberemus propediem in moribus tam diverſis expoſitam ſuis coloribus omnibus imaginem, hinc virtutis, illinc vitii; & qualem jam teneremus, niſi amicum meum ſummum & familiarem *Sponium Lugdunenſem* inchoato vix opere nobis abſtuliſſet invidens eruditæ Antiquitati fatum.

Toinardus Aurelianenſis non minore obſervantia à nobis colendus, ſummæ vir eruditionis, minimeque vulgaris, & ipſe Antiquitatis omnis, imprimiſque numiſmaticæ Sponio noſtro ſuppar, ad opus hoc perficiendum invitatus fuerat; ſed ad graviora, majoriſque momenti & ponderis ſtudia vocatus aliud penſum ſuſcepit.

Illi viri quò ſunt illuſtriores ambo, hoc mihi magis metuendum eſt, ne merito mihi nota temeritatis inuratur, qui inter tot antiquitatis ſtudioſos, quos in ædes ſuas tam humaniter admittit Illuſtriſſimus Præſes (ut olim Dux & Par Franciæ Illuſtriſſimus Aumontius) tertius accedere audeam ad hoc munus obeundum: ſed hoc ſaltem aſſequar; ut quemadmodum filius nequam imperio ſucceſſiſſe videtur; ut inde patriæ virtuti lux accederet; ſic opere meo efficiam, ut *Marcus Aurelius Bignonianus* ſic quaſi additis umbris, quod in pictura fit, magis eluceſcat; non enim ultimum, ne dicam præcipuum pictoris opus, ut ait *Lucianus in Zeuxide. Colores accurate miſcere, & tempeſtivam adjectionem facere & decenter adumbrare* καὶ σκιάσαι ἐς δέον.

Sed redeamus ad conſecrationem Antinoi, & ad hæc verba,

verba quibus ait Hiſtoricus Græcos volente Hadriano eum conſecraviſſe, per quæ quidem reſpicit ad præfatas Græcorum adulationes, quibus Hadriani luctum minuere conati ſunt ; cum ille Alexandriæ Antinoum ſuum muliebriter fleret. Habes illuſtre exemplum in 15. *Athenæi de pencrate.* ait volente Hadriano, quaſi conſecrationis hujus non fuiſſet Hadrianus Author ; ſed Græci homines, quod & *Athenagoras* quem ſupra citavimus, videtur ſignificare.

Hi igitur non ſolùm inter Herôas & minorum Gentium Deos Antinoum retulerunt ; ſed & ſtationem in Cœlis certam eidem (ut diximus ſupra) aſſignarunt, Antinoum inter cœleſtes imagines in orbe Lunæ cum *Endymione* collocantes ; quod mire & eleganter expreſſit eximiæ pulchritudinis & maximi moduli nummus Gazæ Regiæ, ubi videre eſt Endymionem ſub forma Paſtoris, ſupra cujus caput aſtrum ſeu Luna, à qua adamatus non minus quam ab Hadriano Antinous ; ante ipſum bos & arbor, quæ Bythinienſe ſolum pingue, ferax & optimum arguere videntur. Hæc averſa pars, cum hac epigraphe ΒΕΙΘΥΝΙΕΩΝ ΑΔΡΙΑΝΩΝ. adverſa autem refert Antinoum cum iſta, Η ΠΑΤΡΙϹ ΑΝΤΙΝΟΟΝ ΘΕΟΝ, *id eſt Antinoum Deum Patria ſua veneratur.*





Habet Dominus *Dron* ſupra laudatus Achatem, in qua Luna media inter duas ſtellas, & caniſtrum in quod ſerpens ingreditur, cum hac inſcriptione ANTI-NOOC.

Conſecrationis Antinoi, cum alia extant hodieque monumenta tum iſtud Romæ, de quo ſupra ubi M. ΟΥΛΠΙΟC ΑΠΟΛΛΟΝΙΟC ΠΡΟΦΗΤΗC. *M. Vlpius Apollonius propheta* id eſt *Sacerdos Antinoi*: ſed quoniam vulgò creditum eſt hoc ſacerdotio præditis vim divinandi ineſſe; ideo non ἱερέα ſe aut Sacerdotem, vel flaminem nominat; ſed *Prophetam. Hegeſippus* apud Euſebium Hiſt.Eccl. cap. 64. καὶ γὰρ καὶ πόλιν ἔκτισαν ἐπώνυμον Ἀντινόου, καὶ προφήτας, ita accipe inquit Caſaubonus, quod ſubjicit Spartianus, per eum Oracula dari aſſerentes: ac fere videas omnes Ægyptiorum Deorum Sacerdotes dici à Scriptoribus prophetas, ut obſervat *Diog. Laërtius*. Aliis locis ἱερεῖς dicebantur; ut in veteribus nummis Achæorum & Corinthiorum maximi moduli, in quibus mentio *Hoſtilij Marcelli Sacerdotis Antinoi*.

Ex his videre eſt nihil circa Antinoum prætermiſſum, quo minus in Deorum numerum adſcriberetur. Altaria, templa, tripodes, aras, victimas, ſacrificia, ludos, agones, feſta, ſuprà illi vidimus ſtatuta; nunc ex elegantiſſimis maximi moduli nummis etiam Sacerdotes exhibeamus.

Hoſtilii Marcelli Sacerdotis Antinoi mentio incidit initio capitis hujus, quod abſque alio argumento ſufficeret inſtituto noſtro probando. Verum denuò iteranda occaſione nummi Corinthiorum, & Achæorum quos idem *Hoſtilius* in honorem Antinoi cudi curavit, in quibus eadem inſcriptio, quæ ſuprà in averſa amborum parte, nempe OCTIΛIOC ΜΑΡΚΕΛΛΟC Ο ΙΕΡΕΥC ΤΟΥ ΑΝΤΙΝΟΟΥ. In averſa autem parte nummi Corinthiorum legitur ΚΟΡΙΝΤΙΩΝ, ibique conſpicitur currus ſolis

bigis vectus ; in dextra ſolis ſphæra (ut videtur *Erizzo*) aliis flagrum. Extat idem nummus in volumine manuſcripto *Golzij* , de quo in præf. diximus ; nec ſcio an cum flagro aut ſphæra ſol in illo effingatur. Non male autem per ſolem *Antinous* adumbratur, qui in nummo noſtro *Pantheo* ſub figura *Harpocratis* deſignatur. *Harpocrates* enim ut vult *Cuperus* Scriptor elegantiſſimus ſolem refert. Adde quod cum de Tripode ſupra ſermo occurrit in nummo Adrianeæ Tharſi Metropoleos, *Antinous* ibi ΝΕΩϹ ΠΥΘΙΟϹ, id eſt *novus Apollo* nuncupatur, quod idem eſt ac *Sol.* Per ſphæram autem (ſi hanc in manu habeat ut vult *Erizzus*) in numero conſtellationum cœleſtium adſcriptus ſignificatur *Antinous.*

Nummi autem *Achæorum* mentio fit apud *Ant. Auguſt. Erizzum*, *Choulium*, *Menetrium* & alios. Averſa pars, illius oculis ſubjicit *Pegaſum* & *Mercurium* cum hac inſcriptione ΑΚΑΙΟΙϹ ΑΝΕΘΗΚΕ id eſt *Achæis poſuit* ſupple *Hoſtilius Marcellus*, per quæ ſignificant Achæi, nec non *Hoſtilius* ille *Marcellus* velle famam Antinoi inter Deos admiſſi velocius currere ; & forſan etiam per *Mercurium* Sacerdotium adumbrare intendunt, alludendo ad *Mercurium Triſmegiſtum* ſummum Sacerdotem ; imo etiam ad *Hadrianum* qui primus Impp. Romanorum Pontificis Maximi munus & officium peregiſſe fertur apud *Spartianum in ejus vita* : Sed veroſimilius eſt per hæc adulatos fuiſſe Imperatori, quem ſciebant præ cæteris ferre in oculis *Antinoum* & *Boryſthenem* Equum idcirco hunc *Pegaſo*, illum *Mercurio* æquant. Nummum hunc exhibemus ex Matrice celeberrimi illius Calchographi & celatoris optimi *Ioan. Calvini*, vel ſi mavis *Cauvini Patavini* , quæ cum multis aliis aſſervatur in *Muſæo Sangenovefviano* , quod brevi typis & figuris elegantiſſimis adornatum , cum omni illa ſupellectile Antiquaria & Exotica

rerum naturalium à Cl. & felicis recordat. viro *Claudio Molineto* Canonico regulari S. Auguſtini digniſſimo per multos annos collecta dabitur in lucem; curâ & ſtudio viri humaniſſimi , & antiquitatis ſtudioſiſſimi, nec non etiam Canonici regularis Sancti Auguſtini *Nicolai Saſrebuſſy* amici noſtri ſingularis.

Nummi autem iſti *Patavinitatem* ſapientes, etſi à multis in contemptum adduci videantur; non tamen ut eterodoxi (ſi fas eſt dicere) & falſi habendi ſunt; nam præter quam quod elegantiæ ſunt ſingularis; aut nobis in his antiquos deperditos reſtituit *Joan. ille Calvinus*; aut ſi aliquid ex ſuo in illis addidit aut promere tentavit, totum illud veritatis hiſtoricæ & optimorum Authorum ſubſidio niti voluit; ut ex hoc de quo loquimur , & quem hîc exhibere curamus patet omnino & ex ſupradictis conſtat.



Quod autem in ſupra allata inſcriptione nominatus fuerit Antinous σαιώθρονος τῶν ἐν Αἰγύπτω Θεῶν *Deorum Ægypti Conſeſſor, & Conſors*, illud ait *Caſaubonus* ſignificare urbem de

ejus nomine *Antinoum* ſeu *Antinopolim* in Thebaide juſſu Hadriani appellatam, non à fundamentis fuiſſe novam ædificatam; ſed ejus gratia inſtauratam, & quaſi denuò conditam, cùm eſſet antea is locus alio Numini conſecratus; BESAM Deum illum, & urbem quoque priores vocabant, quam appellationem diu etiam poſtea retinuerunt Ægyptii, altera Græcis relicta. Unde fuerunt, qui de duobus unum nomen componerent, & oppidum illud *Beſantinoum* appellabant, duorum Numinum appellationes in unum conflantes, ut in *Herm-Heraclas*, *Herm-Athenas*, *Heracl'Ammon*, *Herm'Ammon*. Ex hoc *Beſantinoo* oppido erat *Helladius* ille, cujus *Creſtomathiam* cum notis Meurſii & ſuis nobis ſuppeditavit nuper Vir clariſſimus *Joan. Georgius Grævius* reip. litterariæ decus & ornamentum.

BESA nomen eſt Dei unius Ægyptiorum qui dedit urbi nomen, ut in pleriſque. *Ammianus Marcellinus lib.* 19. Oppidum eſt (inquit) Abydum in Thebaidis parte ſitum extremâ, hîc BESÆ Dei localiter appellati Oraculum quondam futura pandebat; atque ut in aliis Deorum nominibus, ſic in iſto accidit, ut viri etiam illud uſurparent Ægyptii; hæc *Caſauboni* interpretatio de Antinoo in inſcriptione veteri σωνθρόνο τῶν ἐν Αἰγύπτω Θεῶν parum conſona, & interpretationi *Salmaſii* ſuperius allatæ & noſtro numiſmatis quod ſi conſpicere datum fuiſſet Caſaubono, non dubito quin in noſtram iviſſet ſententiam, ſuamque de BESA libenter deſeruiſſet.

Plerique nummi conſecrationis *Antinoi* ubique reperiuntur, quos hîc apponendos non duximus, contenti illius, quem initio Capitis hujus præfiximus, & aliorum ſparſim teſtimonio. Cæteros fere omnes, cum inſcriptionibus in ſuum opus retulit *Medio Barbus* apud quem videri poſſunt: Cum nulli enim *nummi Latini Antinoi*; ſed tantum *Græci* inveniantur, ne omnino in opere ſuo tantum heroëm præ-

teriret, illos omnes ſatis ſtudioſè congeſſit; utinam ſic reliquos Græcos nobis dediſſet; quos propediem ſe daturum promittit; vereor tamen, ne à clariſſimo Antiquario præveniatur, qui poſt eximium opus coloniarum, ſtatim & urbium Græcarum numiſmata publici juris facere meditatur, quod ſane ſtudioſi omnes antiquitatum optant vehementer.

Cùm autem de *Bucephalo* & *Boryſthene*, ſuperius verba fecerimus; nec de equo Antinoi quidquam dixerimus; ſaltem equo inſidentem ſub forma Mercurii & velut Principem juventutis exhibeamus illum, ut videre eſt in nummo præclaro, & rariſſimo officioſiſſimi, nec non eximiæ virtutis viri nec ſatis laudati Domini *Dron* Eccleſiæ Collegiatæ S. Thomæ ad Luparam Canonici digniſſimi. Hic ſeriem numiſmatum rariorum medii æris completam omnino & perfectiſſimam poſſidet. Habet & maximi, quibus tertiam minimi brevi adjiciet; ut nihil in hoc genere ſibi deſit; & hunc ſi non *Triumvirum monetalem* ſaltem trium monetarum virum nuncupare poſſimus.

In hoc autem nummo præter elegantiam Typi id ſingulariter notandum, quod in aliis *Antinous* modo ΗΡΟϹ; modo ΗΡΟΟϹ, in aliis ΗΡΩϹ, aliquando ΗΡΩΟϹ, in hoc autem ΗΡωΟϹ per hoc ω indigitatur, quod nullibi, mihi vidiſſe contigit, niſi in hoc nummo quem Erizzus & Patinus etiam exhibent.



Optaſſem equidem vehementer tot inter Hadriani numiſmata in aliquod bonis avibus incidiſſe, in cujus averſa parte, ſub figuris *Iſidis* & *Harpocratis* ἐν Προτομῇ cum flore loti in capite duo capita ipſa *Sabinæ* & *Antinoi*, & hujus quidem facie converſi ad Sabinam oppoſita cernerentur. Libenter hîc illud expoſuiſſem, non ſolum, ut noſtro ſic ſe habenti παραλλήλως opponerem; ſed etiam ut illius aſpectû recrearem aliquantiſper Antiquarios quoſdam, qui perinde ac Sabina moroſi & difficiles (ut diximus ſupra) hujus Amaſii diſpoſitionem, ſeu ut vulgo loquuntur pictores, *aptitudinem* quam præ ſe fert in nummo *Pantheo* averſus Sabinæ, velut minus verecundam reſpuere videbantur.

De cæteris, quæ *Harpocratem* ſpectare poſſunt conſulat Lector Illuſtriſſimum *Cuperum*, in eo argumento copioſiſſimum juxta ac eruditiſſimum. Quod ad nos attinet ſatis habuimus de illo tractaſſe, habita duntaxat ratione ad nummum noſtrum, & prout maxime reſpexit Antinoum, ſive etiam Hadrianum & Sabinam.

Nihil de *Iſide* & *Oſiride* in nummo effictis, de quibus Plutarc. in eximio & eruditiſſimo libello; nihil denique de ſynonimia Deorum, & de ſignis Pantheis, de quibus alii, hæc enim omnia diſſertationis modum excedunt; præterquam quod de his omnibus dicturus es in præclaris diſſertationibus, quas paras de Diis Gentium & ſacris, cum pluribus aliis addendis præſtantiſſimo operi de præſtantia numiſmatum prælo brevi mandandis, & ab eruditis avidiſſime expectatis.

Satis ſit nobis hîc aliqua delibaſſe de conſecrationibus veterum, & de ambitione, qua Ethnici Principes inter Deos numerari, ſibique æternitatem dum viverent arrogare geſtierunt, maximè verò Alexander & Hadrianus, inter quos potiſſimum comparationem inſtituere voluimus.

Non mirum autem Vir illuſtriſſime, ſi talis viguerit inter

Ethnicos Imperatores ambitio, cum inter Chriſtianos etiam invaluerit; atque æternitatem ſibi dum viverent arrogarint iidem, ipſamque adorari juſſerint L. fin. C. *de quadrien. præſcript.* & L. 2. C. *de fabric. lib. xj.* ÆTERNITAS enim conſecrationem denotat atteſtantibus nummis; inter quos Hadriani, de quo ſupra mentio, & *Juliæ Auguſtæ* ubi templum in averſa parte cum inſcript. ÆTERNITATIS AVGVSTÆ. Adeo verum eſt, quod initio hujus diſſertationis diximus, vulnus inflictum primis parentibus à falſa voce ſerpentis ERITIS SICVT DII, adhuc recrudeſcere in filiis, niſi vox vera Patris Æterni φωνὴ ἀληθὴς auribus illorum inſonuerit; imo uſque ad cordis intima pervaſerit, quâ non altum ſapere verè, & efficaciter diſcant.

Nulla autem hîc demonſtratione opus eſſe exiſtimo, qua titulum nummi PANTHEI diſſertationi recte impoſitum probem, ſi cui minus videretur. Typi enim *Iſidis* & *Oſiridis* ſeu *Serapidis* & *Harpocratis* in averſa parte ſimul exhibiti illum ſatis tuentur. Quæ non tandem numina his nominibus deſignantur? Iſis una nullum non Deum agit atteſtante Apuleio inſigni loco ſuæ Metamorphoſeos toties laudato, quem & hîc reponere non gravabimur. *Me primigenii Phryges Peſsinuntiam nominant Deûm matrem, hinc Auctochtones Attici Cecropiam Minervam, illinc Fluctuantes Cyprij Paphiam Venerem, Cretes ſagittiferi Dyctinnam Dianam; ſicut trilingues Siculi Stygiam Proſerpinam, Eleuſinij vetuſtam Deam Cererem, Junonem alij, alij Bellonam, alij Hecaten, Rhamnuſiam alij, & qui naſcentis Dei Solis inchoantibus radiis illuſtrantur Æthiopes, Ariique, priſcaque doctrina pollentes Ægyptij ceremoniis me prorſus propriis percolentes appellant vero nomine REGINAM ISIDEM*, &c. Eamdem rem confirmat præclara quidem licet tritiſſima inſcriptio Capuana.

TE. TIBI.
VNA. QVÆ.
ES. OMNIA.
DEA. ISIS.
ARRIVS. BAL
BINVS V. C.

Huic adſtipulatur apud *Plutarch. de Iſide & Oſiride* alia ejuſdem Deæ ſic de ſe loquentis inſcriptio, quæ in ipſius templo. ἐγώ εἰμὶ πᾶν τὸ γέγονος, καὶ ὂν, καὶ ἐσόμενον. *Ego ſum id omne quod fuit, quod eſt, & quod futurum eſt.* Atque eidem rei demonſtrandæ oportunus omnino advenit nobis *Cl. Rigordi* ſupra laudati nummus ſingularis ΘΕΟΥ ΠΑΝΟϹ ex ære minimo ſub figura *Iſidis* non malè *Sabinam* Hadriani conjugem repræſentantis adumbrati. Mirum enim quantum rerum univerſitas, quæ per id nominis τὸ πᾶν ſignificatur, omnibus quæ Iſidi attribuuntur conveniat; ſive enim hanc pro Terra, ſive pro Luna, ſive denique pro natura ipſa univerſi accipias, utrobique nomen illi Πανὸς congruit. Addas velim ad hæc, Lunam ipſam (cujus imaginem veteres aiebant eſſe Deum Pana, ἧς εἴδωλον φᾶσιν εἶναι τὸν Πανὰ) per Iſidem deſignari.



In hujus igitur nummi parte adverſa ISIS ἐν Προτομῇ cum

H

flore loti in capite & inſcriptione ΘΕΟΥ ΠΑΝΟΣ. In averſa vero, non Raſtrum, ut quidam opinati ſunt tanquam Iſidi frugum inventrici proprium; ſed potius Tripus, vel ſella compactilis; ſupra quam quid ſit poſitum haud facile eſt conjicere; ingenuéque fateor hîc mihi aquam hærere; quamquam per id genus figuræ videatur aliquid deſignari aquam innuens, nempe vaſculum aliquod; ſi non illud in manu Iſidis à ſculptoribus poni ſolitum, ſaltem unum ex his, quæ in ejus pompa à Sacerdotibus illius *Apuleius lib. xj.* tradit circumferri; ad *fluentiam* nempe *lacunarum* & *inundantiam Nili* ſignificandam; vel *Cimbium* quod in formam navigii efformatum eſt, vel ipſummet *Navigium Iſidis*, vel quid aliud ſimile ad Deam pertinens *Cl. Morellius* (qui nobis officioſiſſimè ſuo more, & fideliſſimè deſcripſit hunc nummum æri incidendum) *cancrum* putabat eſſe quod ſupra ſellam poſitum. Et non malè quidem: Cancer enim hîc adumbrat motum ſolis retrogradum, quo tempeſtates anni efficit, quæ per puncta quatuor in figura poſita aliquo modo videntur deſignari.

Eſt è Cancrorum marinorum genere *Carabus*, quo nomine genus navigii Græcis κάραβος & καράβιον. Iſid. lib. 19. cap. 1. *Carabus parva ſcapha ex vimine facta, quæ contecta crudo corio genus navigij præbet.*

Non male etiam *Cl. Thevenotus* Regiæ Bibliothecæ præpoſitus *ſcarabæum* inverſum putabat, vel cantharum, cujus conſtellatio trium ſtellarum in aquarii ſydere, quæ fluentiam lacunarum & innundationem Nili identidem ſignificat.

Nodum ſub lingua *Apis* (Bovis illius Ægyptii) Cantharum appellant. Plin. lib. 8. cap. 46. nempe à nigredine, & *Scarabæi* figura, ut auctor eſt *Porphirius lib. de abſt. carn.* ubi tradit Ægyptios Scarabæum imprimis venerari, quod Solis ſit animata effigies. *Lunæ eos Apim conſecraſſe Solis &*

Lunæ inſignia geſtantem ; Solis quidem nigrum pilum , & ſub lingua Cantharum ; Lunæ vero maculam albam naſcentis lunæ modo ſinuatam.

Cantharum etiam vocant vas in formam utris , cui liquor infuſus (ut vinum aut oleum) deportatur aut aſſervatur. Utres ab utero inquit *Iſid.* quod ejuſmodi vas ad modum uteri amplus ſit & inflatus , Græcè ἀσκος , uter , follis. Utres, propriè ſunt de corio diverſorum animalium , maxime Caprarum quæ DEO PANI non ſolum ; ſed maxime BACCHO, conveniunt, ſive OSIRIDI Ægyptio *Iſidis* marito vitis inventori.

Cantharus poculi nomen quod Bacchi & Sileni ejus ſocii inſigne : Virg.

Et gravis attrita pendebat Cantharus Anſa.

Macrob.lib.5. Saturn.c.21. *Cantharus pro poculo quidem nota res eſt ex ipſo Virgilio , qui aptiſsime proprium liberi Patris poculum aſsignat Sileno.* Ineptè quidem vetus vocab. monaſticum Cantharum derivat à *Cano*, quod cantando portetur ; potior ratio videtur, ut Cantharum vas à figura Canthari animalis Scarabæi derivemus. *Scal. lect. in Auſon. lib. 2. cap.*28. *Bacchum cum canthare oblongo & anguſto fingi ſolitum non ſolum veteribus authoribus , qui hoc tradunt ; ſed & nobis ipſis credendum eſt , qui in veteribus marmoribus , numis ac monumentis obſervavimus. Nam alij ſunt Canthari , ex quibus vinum defundebatur in pateras , alij potorij Canthari , quibus bibebatur, &c.* Si Cantharus minus mundus videatur ad nomen imponendum potorio vaſi , ſit hæc alluſio ; ſane ut omnia initio ſimpliciora fuerunt , poculi vicem præſtare potuit vaſculum ad iſtius inſtar effictum , vel ſaltem vicem majoris vaſculi , ut pote utris aut follis quæ in nummo videntur expreſſa.

Stipitiſne formam dabimus ejuſmodi figuræ; ſtipitem enim aliquando in Bacchi ſymbolum aſſumebant.

Quibuſdam *Lucerna* potius quam quidvis aliud ibi repræſentata videtur; ſed nullam ejuſmodi videre eſt apud *Licetum*, ſingulares licet admodum & extraordinarias *in lib. de veterum Lucernis* exhibuerit. Scio equidem per hanc litteram L, quæ eſt à latere Tripodis Licetum ſatis lepidè lucernam interpretatum eſſe in nummo Hadriani, (ut infrà videbimus) quaſi vellet alludere ad feſtum lampadarum ab Ægyptiis inventum. Sane hîc LVCIDO PANI ut eſt apud *Reyneſium* non libabimus.

Quid ultra datur cogitare; *capſam* ne dicemus ibi exhiberi Mercurio ſive Oſiridi Ægyptio conſecratam. *Ciſtam* dicamus potius & illam quidem myſterioſam & ſecretorum capacem, quæ referente Apuleio celabat *operta magnificæ Religionis*.

Sed nec ſit hîc conjecturarum noſtrarum finis; exſpatiari adhuc ultra liceat in re difficili, imo ludere tantillum & ariolari in gratiam SABINÆ & ΘΕΟΥ ΠΑΝΟϹ tibiarum inventoris. Dicamus ſupra ſellam compactilem ſeu Tripodem inſtrumentum muſicum paſtoricium poſitum ex genere tibiarum, quas Gallicè vocamus *Muſettes*, jam tum apud Antiquos in uſu cum ſuis follibus ut apparet.

Liceat adhuc in re non magis obvia, nec minus ad inveſtigandum facili exſpatiari etiam aliquantulum, & aliquid imaginari, quod tibiis noſtris concinat his in litteris L.C. à latere ſellæ poſitis. His non hæſitaret *Scaliger* aſſeverare *Luſtrum* ſive Olympiadem ducenteſimam ſignificari; & ſi duæ iſtæ accederent KH vel KE liceret nobis ducenteſimam vigeſimam octavam, vigeſimam quintam augurari. Et liceret ſanè ſi loco C litteræ littera Є ut multis placuit in nummo efficta eſſet, hoc enim anno & circiter imperii Hadriani dictæ Olimpiadi non malè reſpondenti agonem edidit ipſe Hadrianus Athenis merè Olympiacum, ut vult Euſebius; unde & forſan Athenis cuſum numiſma etiam Au-

gurabimur, ubi Iſis in veneratione Ægyptiorumque mores ſatis in uſu. Non dubitat vero *Scaliger lib. 5. de Emend. temp. pag.* 480. quin Agon ille vocatus ſit Παναθηναῖα Ὀλύμπια Πανελλήνια Ἀδριάνεια, quæ verba conjunctim ut in inſcriptione Romana, & non ſeparatim, vult eſſe legenda.

Hadrianus equidem in Orientem profectus per Athenas iter fecit, eodem anno Olympiadis 228. vel ſecundùm *Petavium de doctr. temp. lib.* 13. *pag.* 685. *Olymp.* 226. ubi non ſolùm opera quæ apud Athenienſes cœperat dedicavit; ſed & ſupradicta certamina, ſimul & Dionyſia etiam celebravit, ut ex *Spartiano*, & *Dione* colligimus.

In hoc autem itinere potuit *Hadrianus Sabinam* conjugem ſuam (moroſam licet) ſecum duxiſſe, quæ forſan tibiis, & hoc ſpeciatim inſtrumento ſexui ſuo magis proprio delectabatur, & quo ſuaviter canens Athenis in certamine tibicinum palmam conſequuta ſit.

Panathenæa autem certamina, Equeſtria, Gymnica, & Muſica, & in Muſico quidem concentus erat tibicinum συναυλία appellatus, ut *ex Poll. lib.* 4. *cap.* 10. his verbis conſtat Ἀθήνησι δ' καὶ συναυλία τὶς ἐκαλεῖτο συμφωνία τὶς αὐλητῶν ἐν παναθηναίοις συναυλούντων, quibus concinunt hæc Euſtathii ad Iliad. φ. ἀπὸ τοῦ αὐλοῦ καὶ συναυλία ἐκαλεῖτο ὁ τῆς συμφωνίας ἀγῶν ἀμοιβαῖος αὐλοῦ καὶ ῥυθμοῦ χορὶς λογοῦ τοῦ προσμελοδοῦντος. His ultimis verbis innuit Scholiaſtes aliquando ad Tibiæ cantum vocem etiam acceſſiſſe, aliquando non ut in συναυλία, unde differunt inter ſe αὐλῳδος & αὐλητὴς, quod etiam ex his verbis Athenæi lib. 14. Deipnoſoph. colligitur δίδοται δὲ ὁ στέφανος (ait) τῷ ἱλαρῳδῷ καὶ τῷ αὐλῳδῷ, οὐ τῷ ψάλτῃ, οὐδὲ τῷ αὐλητῇ: ſic dicendum de cithara, aliud enim Κιθαρῳδία, aliud Κιθαριστικὴ, ut videre eſt in veteribus Scholiis *Syriani*, *Sopatri* & *Marcellini ſuper Iſagogem ad prolegomena Rhetorices Hermogenis* ἄλλο δὲ ἐστὶ Κιθαρῳδία (inquiunt) καὶ ἄλλο Κιθαριστικὴ, Κιθαρῳ-

δία ἐστὶν ἡ εὔρυθμος συμφωνία τῶν χορδῶν, καὶ τῆς ᾠδῆς, Κιθαριστικὴ ἐστὶν ἡ μονη τῶν χορδῶν συμφωνία.

Majora & minora erant Panathenæa, in quibus tamen eadem fere agebantur. *Peplus Minervæ* cum pompa multa ibi ferebatur; ubi inter alia virgines è nobilioribus, quibus pediſſequæ umbellam & *ſellam* ferrent, unde *διφροφόροι* nuncupatæ, quæ dicta velim occaſione *Sellæ compactilis* in nummo expreſſæ ab ea non alienæ, quæ à *Dedalo* elaborata inter ſpectatiſſima anathemata in celeberrimo Minervæ templo Athenis olim aſſervabatur.

His poſitis quid vetaret (inquam) *Sabinam* hîc, ut in nummo *Pantheo* per *Iſidem* adumbratam exiſtimare, & hanc Panathenæis in certamine tibicinum muſico victricem extitiſſe, non minus quidem probabili conjectura, quam *Sabinam Tranquillinam* uxorem *Gordiani* 3. in certamine lyræ, ut ſatis, ſuperque ingenioſè contendit *Vir clariſſimus in diſſert. nuper edita ad nummum ipſius Tranquillinæ*, in cujus averſa parte *Tranquillina* ipſa nuda ſub figura Veneris (ut illi videtur) aliis verò *Apollo Pythius* lyram tenens, cujus occaſione multa de lyra & cithara erudite & diffuſe diſquirit. Nihil nos vetaret etiam argumentum tibiarum, poſt Salmaſium, Bartholinum & alios retractare in gratiam ΘΕΟΥ ΠΑΝΟϹ, qui has majori ex parte adinvenit, & aliquid novi afferre de inſtrumentis muſicis Veterum ex manuſcripto magni Salmaſii, quod poſſidet eruditiſſimus illius ex filiâ Nepos, Sereniſſimi Principis *Ludovici Auguſti* Cenomanenſium Ducis præceptor *Curtius*.

Cecinimus Tibiis ad faſtidium Vir illuſtr. ſed ſi minus gratæ auribus Lectorum fuerint; videarque *mei ipſius tibicen* extitiſſe, ut fert proverbium *αὐτὸς αὑτὸν αὐλεῖ*. Per me liceat ut quidvis aliud aſſumant ex ſupradictis à nobis, aut ex ſe ipſis cogitent melius. Non enim tanti facio inventa noſtra, quin meliori-

bus oblatis libenter abjiciam, dicamque cum Pallade apud Ovidium in Metamorph.

Ars mihi non tanti eſt; Valeas mea TIBIA.

Sed ad Iſidem revertamur; nec tamen adhuc Paſtorum Deum PANA tam citò deſeramus; cum ſeſe nobis commodum offerat in altero nummo ſingulariſſimo cum Iſide hoc exhibendo, non quidem (ut fert inſcriptio) Midas ille *Agragantinus Auledus*, *qui ann.* 3. Olymp. 72. ludis Pythicis tibia viciſſe memoratur, & cui *Pindari Ode* 12. inſcripta eſt; ſed illo multo antiquior, amicus ΘΕΟΥ ΠΑΝΟϹ maximus, obtuſiorum licet vir aurium & modulationis peſſimus arbiter MIDAS *Rex Phrygiæ* obliquarum ut aiunt inventor tibiarum, quæ Adoniis, funeribus rebuſque luctuoſis adhibebantur, & quas ut arbitror leniter perſonantes ideo vocat Athenæus lib. 14. cap. 2.



Nummus ſingulariſſimus & unicus ex ære mediocri extat apud Clar. *Jacobum Chevanæum* Juriſconſultum Divionenſem, quem dum officiosè paucis ante obitum annis Divione nos inviſeret, Vir de antiquitate, omnium meritiſſimus, & dum viveret, amicus noſter ſingularis *Jacob Sponius* domi præſente Chevanæo Midæ ſuo, pluſquam Midas ipſe theſauris ſuis, adhærenti, raptim & properanter deſcripſit; ſicque parùm emendatè in *Miſcellaneis eruditæ antiquitatis* expoſuit. Verum ſi quid minus accuratè hac in

re à Sponio præſtitum eſt , illud hîc elegantiſſime ſupplevit officioſiſſimus non ſolùm & induſtrius, ſi quis umquam fuit in hac parte , verùm etiam non minus Sponio conſpicuus in omni re antiquaria *Andreas Morellius*, vir nunquam ſatis pro meritis & eruditione æſtimandus.

In antica nummi parte Midas conſpicitur , vel quis alius per illum adumbratus cum inſcriptione ΜΙΔΑC ΒΑCΙΛΕΥC ; in poſtica verò Iſis cum modio in capite, dextra tenens ſtateram, cujus lanx una inclinata, ſiniſtra verò ſiſtrum, quæ omnia, præclariſſima ſymbola ISIDIS PANTHEÆ. Per modium , frugum & tritici inventrix Iſis innuitur, è quo homines è victû ferino ad manſuetiorem vitam tranſtulit. Per ſtateram inclinatam (quæ ſymbolum juſtitiæ) ſignificatur legibus homines aſtrinxiſſe, per ſiſtrum verò Religione eos informaſſe. His tribus vitam hominum univerſam , quæ aliter non cônſtat, Iſis inſtituit.

Quid vero ſibi velint hi caracteres Græci ΙΕCCΕΩΝ ex parte exeſi , quibus urbs, vel populi , qui nummum cuderunt indigitantur, & quis tandem per MIDAM in nummo ſit adumbratus dabitur forſan aliquando diffuſiùs explicare.

Nunc poſt *Iſidem* , de Serapide ſeu Oſiride, qui & Mercurius, & Sol & Apollo indigitatur , numquid Deos omnes unus etiam ipſe comprehendit ? Videndus de hac re Macrobius, videndi Recentiores omnes , inter quos eminet illuſtriſſimus *Huetius* in eximia Demonſtratione Evangelica. De *Harpocrate* non eſt quod laboremus poſt ampliſſimum *Cuperum*, (ut diximus ſupra) & quidem ex argumento nobis obvio & præcipuo , hîc enim inter duo numina tanquam ſignum Pantheum repræſentatur cum modio in capite, qui Serapidem, & Cornu copiæ in manibus quod Cererem , vel potius Iſidem frugum inventricem adumbrat:

ita ut aliquo modo ſupervacaneè videantur hæc eadem numina denuo in nummo exhibita; niſi velimus ſub illorum figuris (ut diximus) Græcos Alexandrinos Hadrianum & Sabinam adumbraſſe; Adde etiam, quod pellis ex brachio Harpocratis dependens, *Anubim* adumbrat; Caninam eſſe autumo. Scis Vir illuſtriſſimè controverſiam noviſſime obortam inter celebres Antiquarios *Cuperum* & *Baudelotium* ſupra laudatos, qui non de lana caprina; (ut dicitur in proverbio) ſed de pelle *Canina* potius & *Leporina* inter ſe amicè contendunt, ex occaſione videlicet ſigni *Panthei Harpocratis* in libris amborum exhibiti, ad cujus pedes in uno *Canis* ſubjicitur, in alio *Lepus*, errore forſan Calcographorum, qui non diligenter ſigna obſervaverunt; Verum facile ad concordiam revocandi viri celebres; ſi dicamus Canem & Leporem ſimul eſſe ibi efformatos, ſeu potius (ut mihi innuere viſus eſt *Baudelotius* ipſe) Canem ex illorum ſpecie, quos Leporinos vocamus, Gallicè *Levriers*, ut pote inſectandis leporibus à natura factos: hi nempe aures habent partim arrectas, ut Lepores, & partim demiſſas.

Supereſſent tandem & ultimò interpretandi characteres Latini partim (ut volunt quidam) partim Græci, quos in averſa parte numiſmatis annum Imperii Hadriani 18. deſignare diximus L. I H. ſed quoniam huic Litteræ; vel ſi mavis notæ L. nummis plerumque Ægyptiorum Græcis appoſitæ uſque huc pauca lux affulſit ex Authoribus, lucernam huic accendere non eſt hic locus, nec mihi animus, diſſertationem ſingularem & ſatis diffuſam aliunde requirenti. Parum feliciter illam accendere voluit *Fortunius Licetus* in ſuis de Lucernis Antiquorum libris exhibens hunc Hadriani nummum fol. 1099.



In hujus nummi averſa parte ſerpens, cum his litteris L. I Δ. quæ annum decimum quartum Imperii Hadriani indicant, quaſi diceretur (ut volunt) λυκάβαντος τέσσαρα δέκα L. *Romano*, Græcum ibi quaſi inverſum repræſentante, & pro Græco in vetuſtioribus promiſcuè inſcriptionibus interdum exhibito; imo pro vetuſtiori à plurimis habito; volunt enim veteres Græcos duplici hac formâ λάμβδα pinxiſſe, quarum vetuſtior commodiſſima viſa eſt ad *Anni* voculam in nummis ſignandam, cum aliis characteribus ad numerum annorum indicandum propriis; quia ſi eâdem formâ commixtum fuiſſet cum notis numeralibus, difficultatem legentibus præbuiſſet.


Duplicis hujus λάμβδα exemplum videre eſt in fragmento illo tribuum antiquiſſimo, quod vidit Athenis in lapide *Sponius*, & Miſcell. ſuis inſeruit ſect. x. num. 1. lapidem in villa ſua Iſſiaca prope Pariſios poſſidet nunc cum multis aliis antiquitatum fragmentis Vir Cl. harum, & omnium bonarum litterarum ſtudioſiſſimus *Thevenotus*, Bibl. Regiæ Præfectus; quo lapide donatus fuit ab Illuſtriſſimo *Nointellio*, cum ex legatione Conſtantinopolitana rediret.

Prima vox in lapide LΥΚΙΝΟΣ hoc charactere ex-

preſſa, in angulum non omnino rectum deſinente, ut alibi ſolet; ſed in paulò acutum; plurimæque aliæ ſparſim eodem inſignitæ, quamquam & hoc etiam Λ promiſcuè plurimæ aliæ, ut E. G. ΕΥΦΙΛΕΤΟΣ, ΛΟΡΟΣ, ΦΙΛΟΝ, &c. Unde videtur illis hæc littera L. antiquior (ut diximus) iſta Λ, nec male λυκάβαντα, hoc eſt annum ſignificare; quod & probare videtur Græcus Codex vetuſtus de re aſtronomica ab eruditiſſimo *Noriſio* viſus in Medicea Bibliotheca (ut nuper ad nos ſcripſit) in quo author occultas in eo opere notas explicans ſcribit L, ἔτος. probare videtur etiam Epigramma in alio vetuſto lapide apud Clariſſimum *Fabrettum*, in quo (ut ait idem *Noriſius*) puer Orgiis Bacchi inſerviſſe, & vixiſſe dicitur, annos 7. & menſes 2. ΛΥΚΑΒΑΝΤΑΣ ΕΠΤΑ καὶ ΜΗΝΑΣ ΔΥΩ.

Verſibus ſeptem hexametris conſtat inſcriptio quam, dum hæc περὶ λυκάβαντος ſub prælo ſudant, & huc ad corrigenda errata typographica folium ad me tranſmittitur; opportunè admodum & officioſiſſimè illuſtriſſimus ipſe *Fabrettus* libellis nunc ſupplicibus Summi Pontificis *Alex. VIII.* Præfectus, ex Autographo fideliſſimè excerptam ad nos miſit; hanc illuſtrando huic loco non ſolum idoneam; verùm etiam ob elegantiam ejus ſingularem, & nativam quam præ ſe fert Veterum eloquentiam inſerendam maximè duxi. Sunt equidem in illa, Vir illuſtriſſime, nævi quidam munuſculi (ut nonnullis videtur, aliis non) erratum nempe unum, aut alterum circa quantitatem; quæ puero ſeptenni (aliàs diſertiſſimo) omnino condonanda. Si plures hujus generis & elegantiæ (ut ſanè credendum eſt) *in Muſæo ſuo Urbinate* exhibeat inſcriptiones Vir eruditus; quanta quæſo cum animi alacritate luſtrabunt illud Viri antiquitatum ſtudioſi: dummodo tamen ad umbilicum uſque adducto remoram nullam injiciat inſigni operi munus recens Viro

illuſtri à Summo Pontifice oblatum , & ſatis (quod ſperandum eſt) temporis huic perficiendo concedat.



Sed quia verſus ſupradicti tanquam proſa hîc ſcripti jacent , ſic in ordine verſuum rediguntur.

Θ K

Μήπω γευσάμενος ἥβης , ὤλισθον ἐς Ἅδου ,
Δάκρυα καὶ στοναχὰς λείψας αἰῶνι γονεῦσιν ,
Δύσμορος ! οὐδ᾽ ἐνόησα βροτῶν ψαῦσαι βιότοιο.
Ἑπτὰ μόνους λυκάβαντας , δύω καὶ μῆνας ἔζησα ,
Ὧν τρεῖς ἐξετέλουν Διονύσω ὄργια βάζων.
ἩΡΌΦΙΛΟΝ δὲ κάλουν μὲ Πατὴρ καὶ Πότνια μήτηρ.
Ἔγνως ὦ παροδεῖτα τὶς ἤμην. οὐκ ἐγενήθην.

Sic autem verſibus Latinis exprimuntur.

D. M.

Puberis haud dum ævi compos demittor averno
Æternas patri lacrymas, gemituſque relinquens.
Infælix! neque noſſe datum mihi munera vitæ.
Septem tantum annos gemino cum menſe peregi;
Orgia me Bacchi tres detinuere colentem.
HEROPHILVM me chara parens, genitórque vocabant.
Quis fuerim noſti; Genitum ne dixeris HOSPES.

In lateribus hujus inſcriptionis, figuræ utrimque poſitæ ſunt, quæ & ætatem *Herophili*, & quo ſit in Orgiis Bacchi functus munere declarant. Facies nempe illa pueri in latere dextro inferiori, cui ex adverſo & diagonaliter reſpondet in latere ſiniſtro ſuperiori gramen ſeptem internodiorum, quid aliud quàm ſeptennem puerum indicant? Germen autem hederæ in latere ſiniſtro inferiori, cui & ex adverſo reſpondet Tintinnabulum; quid aliud, quàm pueri munus & officium? Quo autem modo in ejuſmodi Orgiis uſus ſit tintinnabulo puer ille ſeptennis, an ſicut χωδωνοφορῶν, ſive Tintinnabuli Geſtator ille apud Ariſtophanem in avibus & ſcholiaſtem ejus, qui circuibat civitatem, & φύλακας id eſt excubias & vigiles obſervabat, num verè vigiles eſſent? quod Tintinnabulo explorabat: ſic & puer iſte forſan etiam vicos civitatis percurrendo, & tintinnabulo perſonando annuntiabat populis Dyonyſii feſta; an ſicut Iſiaci ſtipem emendicantes æra ſonabant; ſic & iſte Tintinnabulum? an verò cum aliis pueris in ejuſmodi feſtis miniſtraverit, & ſimul cum illis æra ſive tintinnabula ſonaverit; utrobique enim verbum βάζων, quo utitur in inſcriptione *Herophilus*

eadem ſignificat, Βάζω enim originem ſuam trahit quaſi à Φάω, id eſt dico, loquor, annuntio prædico, &c. ſive à Βα ſono, & vocula ovium ſeſe mutuò inclamantium, vocula etiam Riſus quaſi à Βοάω vociferor. Tintinnabula hæc aliis percutienda, imo diſcutienda relinquo; maxime autem Viro illuſtri; qui ſonos diverſos ad perfectam harmoniam revocabit, ſuiſque interpretationibus Doctis & Eruditis lucem afferet, non ſolum Muſæi ſui inſcriptionibus; ſed & cæteris omnibus tam Gruteriani operis, quàm aliis uſque hûc parum intellectis.

Sanè ſi non annum, annuum quid ſaltem hanc litteram ſignificare in nummis Ægyptiorum nemo inficias ibit. Videatur *Hadrianus Junius* cap. 18. lib. de anno & menſibus, ubi tradit cur annus λυκάβας à Græcis dictus ſit, Macrob. lib. 1. Satur. cap. 17. *annum*, inquit, *vetuſtiſſimi Græcorum λυκάβαντα appellant*, quæ quidem vox non ſemel apud *Homerum* occurrit & apud nonnullos quoſdam Poëtas.

Addamus & in inſcriptionibus latinis Λ pro L aliquando poſitum, & ſimul etiam ambo promiſcuè ut in hac quæ apud *Jacobonium de priſca Cæſiorum Gente.*

FATIS
SIIVIRI ΛIPARA
VALIIRIANA
V. S. L. M.

Ubi duo obſervatione digna ſunt, & duo II pro E inſcripta, & Λ pro L.

Geſtiens igitur nummum ſupra dictum interpretari *Licetus*, multùm & inutiliter ſe torquet; nec ſane res eſt difficultatis expers, quidquid ſupra dixerimus. Vidi enim num-

mos variè hanc notam, vel ſi mavis litteram exhibentes, & quidem apud ſupra laudatum Cl. Dronium, inter quos unus *Domitiani* in cujus averſa parte apis cum hac nota ſic diviſa | I Є.

Alius *Aureliani* in cujus averſa parte *Vvaballathus*. & quidem in antica parte, & ante caput Aureliani hæc littera L. ſola conſpicitur abſque ullis notis numeralibus.

In nummis Commodi Græcis anni poſt hanc litteram L uſque ad triginta & amplius excurrunt, cum duodecim tantummodo regnaſſe conſtet; ita ut in quibuſdam legi detur L. ΛΒ nempe in illo Gazæ Regiæ, ubi Aquila inter duo ſigna militaria conſpicitur; quamquam & ad aliud interdum, quam ad annos Imperii referri etiam poſſint iſtæ notæ numerales, nempe ad tribunitiam poteſtatem duplici modo dinumeratam, (ut quibuſdam placet) vel ad annos potius Ægyptiorum, vel tandem ad aliquid aliud non ſatis adhuc cognitum.

Nummus ΘΕΟΥ ΠΑΝΟϹ ſupra allatus in averſa parte litteram vel ſi mavis notam L. habet, ſupra quam nota numeralis C. hoc modo L.$^{C.}$ id eſt anno ducenteſimo, vel ſecundùm Scaligerum luſtro ducenteſimo.

Hic enim in notis ad Euſebium, & in Canonibus Iſagogicis, & maxime *in libro 5. de emend. temp. pag.* 384 per hanc L. ΛΟΥΣΤΡΟΝ in nummis antiquis ſignificari exiſtimat. *In omnibus* inquit, *provincialibus nummis Imperatorum Græcis, uſque ad filios Conſtantini aliquando* L. *aliquando* Λ *ſculptum eſt* Λ. Β. Λ. Γ. *id eſt* λύθρω δεύτερω, λύθρω τρίτω; Vellem dixiſſet Scaliger. *Aliquando* Λ *ſculptum eſt apud Goltzium & Occonem*, qui Goltzium ſequitur; nam nullibi hactenus mihi contigit in nummis vidiſſe ſic Græcè deſignatam litteram Λ; ſed ſemper latinè hoc modo L.

Eruditiſſimus Ducangius in ea videtur eſſe opinione, ut credat, quod per id nominis L. nota dumtaxat & velut

Diple quædam nummis Græcis apponi ſolita ſignificetur, nec ſit littera. Videndus in erudito & ingentis laboris *Gloſſario mediæ & infimæ Græcitatis apud Aniſſonium Lugdunenſem* typis elegantiſſimis noviſſimè edito, & quidem in Appendice, ubi te citat cum *Petavio*, *Noriſio*, & aliis Viris eruditis, qui de hoc charactere loquuntur in libris ſuis, & ſententiam illorum explodunt, qui per illum, vocem λυκάβαντα denotari putant, quæ vox inſolens, nec niſi apud Poëtas uſitata. Citat vero maxime *Caſaubonum ad Sueton. in Auguſto cap.* 87. ubi hæc verba. *Putamus igitur notam illam in nummis non litteram eſſe, ſed circunductionem tantùm quamdam, cujus uſus, quoties ambitus non capiebat omnes litteras.* Circumductio autem eſt velut σχηματισμὸς ſeu *Diple* quædam, qua utuntur Grammatici, cum non ſatis ſpatii eſt in linea, ut comprehendat omnes versûs litteras jam inchoatas, & ſupra aut infra ἄνω vel κάτω (ut Græcè loquamur) rejiciuntur, utuntúrque ad hoc hâc nota ſeu figura L, aut ˥, vel iſtis < > (quaſi paragraphis) quas præmittunt. De his videndi maxime *Hephæſtion* & *Demetrius Triclinius de metris*, ſicut & Scholiaſtes Ariſtophanis in Pluto. *Diple* enim eſt nota Trigoni obliqui figuram habens, citra Baſim, de qua fusè *Papias* in Gloſſario, & Iſidorus in Originibus. diffuſiùs ſanè & nos de tota hac quæſt. quàm nobis initio propoſitum eſſet.

Ponamus hanc interim in hac opinionum diverſitate Beatrices inter illas litteras veſti *Dianæ* affixas, de quibus non convenit omnino inter authores, donec aliquis Oedipus accedat, qui ænigma ſolvat.

Enodabunt forſan illud eximii illi Chronologi & Hiſtoriographi quorum opera expectantur *Pagius in animadverſionibus eruditis ad Baronium*, *Noriſius in præclaro opere de anno & epochis Syromacedonum. LLoydius* Sanctaſaphenſis Epiſcopus apud Anglos *in Chronologia tantopere expetita*, & denique *Toinardus* noſter ſupra laudatus qui annos Imperii

Hadriani

Hadriani diligenter & perquam accuratè ſuo more examinavit, & de hac littera L in nummis Græcis exhibita eruditum opus & ſingulare parat.

Sed ecce interim ſeſe offert ΑΓΑΘΟϹ ΔΑΙΜΟΝ *Bonus Genius* (qui utinam Oedipus) numiſma ſcilicet elegantiſſimum Antonini Pii Gazæ Regiæ, quod inter ſelecta Seguini 2. edit. cujus typus averſæ partis noſtro omnino ſimillimus, niſi quòd ante caput ſerpentis hæc littera L ponitur abſque ulla nota numerali, (ut in præcedente Aureliani) cum hac inſcriptione ΝΕΟ. ΑΓΑΘ. ΔΑΙΜ. *Novus Bonus Genius.* Si tale numiſma ſub aſpectum *Liceto* veniſſet, non ſic in via deliraſſet, bonuſque genius ipſi facem, ad meliorem ſaltem ingrediendam prætuliſſet: Verùm ab illo deſertus, hiſque difficultatibus ſeſe expedire neſciens, ad lucernas ſuas confugit, advertens interim in capite ſerpentis (ut ſibi videbatur) lucernam, quam potius florem Loti dicerem, vel criſtam horum ſerpentum capiti imponi ſolitam. Sicque hos characteres L. I Δ. interpretatur LVCERNAM INVENIT DELTA, per DELTAM innuens ÆGYPTVM, quæ *feſtum accenſionis lucernarum* invenit, quo quid abſurdius umquam excogitari potuerit neſcio; ita ut mirari ſatis nequeam virum alioqui eruditiſſimum & celeberrimũ Philoſophum ſic fuiſſe hallucinatũ.

Poſt hæc ſane condonandum *Choulio* & *Menetrio*, viris de antiquitate optimè meritis; ſi quid ſecus quam par eſſet (ut diximus in Præfatione) de nummo *Pantheo* ſcripſerint. Verùm, ſi quid obſcuri, ſi quid reconditi, ſi quid adhuc elegantioris eruditionis reſtet illuſtrandum in hoc argumento, illud præſtabunt reliquæ diſſertationes tuæ deſideratiſſimæ.

Hæc habui Vir illuſtriſſime quæ de nummo elegantiſſimo, etſi minus eleganter, tibi exponerem, & quæ iterum atque iterum velim æqui bonique conſulas, & pro mea erga te obſervantia ſingulari benignè accipias.

FINIS.

APPENDIX
SIVE
ADDENDA & CORRIGENDA
CAP. III. HUJUS DISSERTATIONIS
Ad nummum Illuſtriſſimi *W*ittii.

LECTORI
Benigno & Φιλαληθεῖ S. P.

NIhil veritate inventu difficilius BENIGNE LECTOR, nihil hominibus ipſam amantibus, nihil denique (quis crederet) ipſo etiam de quo meminimus in ſuperiori diſſertatione ad nummum Hadriani Olympii Jove ΦΙΛΑΛΗΘΗ; neſcio enim quo fato accidit, ut diu latuerit hic *veritatis Amicus*, nec niſi poſt longam, diuturnámque inveſtigationem inventus fuerit typus illius ab Illuſtriſſimo *Wittio* Batavo ex Neapoli ad me miſſus; ex quo malè omnino & fraudulenter curatum fuiſſe nummum ab interpolatore quodam cognovimus, qui (ut ibidem diximus) illudere voluit imperitis in averſa parte; ubi effingit Palladem Jovis ſtolam productiorem à tergo manu dextra ſuſtinentem; quam ſic nihilominus ob rei novitatem illic exhibuimus, & ob quam etiam *Wittium* illum comparaſſe in Italia veriſimile eſt. Multum hic eventus (quod te monitum velim Benigne Lector) moratus eſt, diúque ſuſpenſam habuit hujus Diſſertationis editionem.

Illa tandem abſolutâ neſcio quo iterum fato de tenebris in lucem prodit *Philalethes*, fraudem exhibens & pœnam forſan exigens in corruptorem & adulteratorem nummi ſui, quem nihil minus cogitantibus officioſiſſimè nobis per amicum hûc venientem mittit ex Hollandia idem *Wittius*; adeò verum eſt, *Venire veritatem ipſam quandoque non quæſitam*: Ut apud Stobæum Menander.

Hoc ſanè beneficium ſingulare nobis ab amico ſingulari præſtitum, poſtulare videtur; ut denuò in gratiam illius nummum retractemus , de quo ſatis ſuperiùs in omnem eventum loquuti fuimus ex typo peſſimè nobis exhibito. Ubi nulla omnino averſæ partis epigraphe, ne vel minima quidem littera, & ubi pauciſſimæ in notitiam nummi deduxiſſent, ſi fuiſſent expreſſæ, quales nunc in nummo conſpicere datur, inferius nempe, ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. & circa nummum iſtas; CΤΡΑΤ. hoc eſt CΤΡΑΤΗΓΟC, qui forte ΑΓΡΙΠΠΙΝΟC de quo mentio in nummo Sabinæ Gazæ Regiæ; cujus inſcriptio ſic habet ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΑΓΡΙΠΠΙΝΟC CΤΑΡΑΤΗΓΟC ΑΝΕΘΗΚΕΝ. *Laodicenſium Agrippinus Prætor ſeu præfectus militiæ poſuit*: Iſte *Agrippinus* in aliis Hadriani Laodicenſium nummis, qui apud *Regem Chriſtianiſſimum*, *Chriſtinam Reginam*, & *Magnavaccam Bononienſem*, ſub nomine ſcribæ Civitatis Laodicenæ venit appellatus ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΑΓΡΙΠΠΙΝΟC ΓΡΑΜΜΑΤΕΥC ΑΝΕΘΗΚΕΝ, *Laodicenſium Agrippinus ſcriba poſuit*; ex quo colligendum ducimus duos fuiſſe ejuſdem nominis viros & magiſtratus, quorum unus Scriba Civitatis, alter Prætor ſive Præfectus militiæ Laodicenſium.

In nummo Gazæ Regiæ Jupiter *Philalethes* cum aquila in manu; prout illum ſuprà exhibuimus de collectione Illuſtriſſimi Apamienſium Epiſcopi. In nummo Magnavacæ inter duas fœminas ſtolatas, quarum una Pallas à ſiniſtris Jovis, à dextris mulier Turrita, quæ genius Civitatis. In nummo Chriſtinæ Reginæ Jupiter item inter duas fœminas ſtolatas, quarum una Pallas à ſiniſtris, à dextris verò Juno pronuba quam alloquitur Jupiter. Nullum ſane diſcrimen inter hunc & noſtrum; niſi quòd Pallas, in illo clypeum in ſiniſtra, haſtam in dextra portet, in noſtro autem è contra. Fraus autem illius, qui nummum adulteravit in

eo tota detegitur, quòd clypeum qui fuit in dextra Palladis, tranſtulit ad ſiniſtram, ubi elevationem quamdam ex panno replicato in humero Palladis ſiniſtro invenit, fraudi ſuæ adimplendæ idoneam. Hæc etiam ex alio loco dignoſcitur, quod eodem brachio ſiniſtro Pallas & haſtam & clypeum ſimul ſuſtineat, quod geſtu difficile videtur, nec ſic Pallas ullibi ſit expreſſa. Clypeum vero qui in dextra Palladis fuit, ſic ſtolæ Jovis aptavit, & connexit, ut continuata & promiſſior facta nimis, Pallas illam ferre & ſuſtinere videatur. Nummum autem hunc pulcherrimum ex ære maximi moduli ad priſtinam formam reſtitutum & deſcriptum à clar. Viro *Andræa Morellio* & ab eximio ſculptore *Fran. Ertingero* in æs inciſum exhibemus; non ſolùm cum averſa parte; verùm etiam cum adverſa, ubi caput pulcherrimum Hadriani Laureatum cum epigraphe ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΤΡΑΙ. ΑΔΡΙΑΝΟC. ΟΛΥΜΠΙΟC. *Imp. Cæſar Trajanus Hadrianus Olympius.* In averſa autem parte Jupiter *Philalethes* cum aquila in manu, & inter duas fœminas ſtolatas, quarum una Pallas, altera Juno cum hac epigraphe ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ CΤΡΑΤ. *Laodicenſium Prætor*, ſeu *Præfectus militiæ*, &c.



Sed cum in Diſſertatione noſtra vitiati & violati nummi

dedecus & crimen expiaverimus, per Jovem ipſum *Philalethem* quem exhibuimus de collectione elegantiſſima nummorum maximi moduli Illuſtriſſimi Apamienſium Epiſcopi, qui his amænitatibus poſt graves occupationes ſuas animum nonnumquam relaxat, quæ ſane aberratio liberaliſſima, & viro quibuſvis dignitatum ornamentis conſpicuo non indigna. Hanc collectionem ſtudioſorum antiquitatis admodum dignam, & omnium ſanè totius Europæ in hoc genere locupletiſſimam, brevi dabit in lucem Illuſtriſſimus Epiſcopus cum erudita ad ſingulos nummos explicatione & figuris elegantiſſimis eximii Calcographi *Franc. Ertingeri.*

Nunc ex eadem collectione gratiâ & beneficio ejuſdem Illuſtriſſimi Epiſcopi nummum alterum Hadriani ab Eleis cuſum cum Jove Olympio eximiæ pulchritudinis in averſa parte exhibeamus, *Benigne Lector*, cujus aſpectu recreato, tibi damnum omne & diſpendium moræ ab Jove *Philalethe* allatum, per Jovem nunc *Olympium* reſarciamus, tædiumque diſcutiamus, quo te ſtylo noſtro rudi & inculto, ludis quibuſdam ac jocis forſan ab inſtituto noſtro parumper alienis, & permoleſtis digreſſionibus obtudimus.



F. Ertinger ſc.

In antica parte caput Hadriani cum epigraphe ΑΥΤΟ-

ΚΡΑΤΟΡ ΑΔΡΙΑΝΟϹ *Imperator Hadrianus*, in poſtica vero Jovis Olimpii caput elegantiſſimum cum epigraphe ΗΛΕΙΙϾΩΝ. *Eleiieorum*, quæ forſan lectio cæteris uſque huc allatis acceptior; nam male ΗΛΕΙΙΩΝ legit Patinus in nummo ejuſdem Hadriani Gazæ Regiæ. In aliis paſſim tam Hadriani quam Trajani ΗΛΕΙΩΝ. Gentile ex Stephano *Elieus*, & *Eleus* à quo *Jupiter Eleus* ſive *Olympius*, & ex Triphone Grammatico etiam *Elieius*, nunc autem ex nummo noſtro *Eleiieus*.

Elei autem ſive Eleorum ager inter Achaiam & Meſſeniam, ex cujus circum habitatis pagis & circumvicinis urbs *Elis* tandem coäluit, quæ prius Piſa (ut vult Stephanus) in Elide autem ſive Eleorum agro ſeu Piſano etiam, ſub ditione Eleorum, fuit Olympia Civitas; vel ſi mavis locus & lucus oleaſtro veſtitus juxta fluvium Alphæum, ubi fuit templum Jovi Olympio dicatum, inclytum (ut norunt omnes) monumentis Poëtarum & Hiſtoricorum, & ubi Olympiaca illa Certamina cum maxima totius Græciæ celebritate agebantur, inſtituta antiquitus áb Hercule, in quibus primus decertaſſe fertur, palmámque reportaſſe; & ex quibus nomen ſumpſerunt Olympiades. *Olympias* autem (ut notum eſt.) ſpatium 5. vel 4. annorum per quod Græci tempora numerare cœperunt ſub annum mundi milleſimum tertium ducenteſimum; unde Seneca in Hercule furente appoſitè ad nummum noſtrum

Quantus (populus) *Eleum coit ad Tonantem*
Quinta cùm Sacrum revocavit æſtas.

Jupiter *Olympius* ab Olympio monte omnium altiſſimo, in quo verſabatur, maximamque vitæ partem coluiſſe fertur, ſic dictus eſt. Ibi ſumma ſerenitas & tranquillitas; unde Deorum ſedes dictus, & pro cœlo apud Poëtas frequenter uſurpatus.

Plura tota Græcia præſertim Lacedemone & in Elide templa, araſque habuit Jupiter Olympius; ſed Athenis præcipuum de quo *Plinius lib.36. cap.6.* inchoatum olim dicens, uti & *Suetonius* Reges non perfeciſſe, ſed deſtinaſſe perficere; perfectum verò, dedicatumque ab Hadriano apud nos *Spartianus* tradidit, apud Græcos *Pauſanias in Atticis*, addens à ſingulis Græciæ urbibus poſitas in eo Hadriano ſtatuas, quas omnes poſteà, Athenienſes ſuperarunt mirandi operis coloſſo; unde non mirum ſi Hadrianus *Olympii* cognomen, ambitiosè adeo ſibi quæſierit; fuit enim (ut diximus) gloriæ & æternitatis cupidiſſimus.

Phidiam clariſſimum eſſe per omnes Gentes, quæ Jovis Olympii famam intelligunt, nemo dubitat inquit Plinius. Jovem Olympium ſculptor hic, Athenienſis ex ebore fabrefecit, *tanta magnitudine ut tectum Templi ferè vertice contingeret, quamvis ſedens eſſet effigiatus*, inquit, *Strabo lib.8. Quintilianus autem lib. 12. tantam eſſe ejus pulchritudinem* aſſerit, *ut adjeciſſe aliquid Religioni videatur; adeo majeſtas operis Deum æquavit.* Sane id perſuadeat mira oris ac vultus dignitas, quam in nummo noſtro conſpicere eſt, ex prototypo (ut nullus dubito) deſumpta & expreſſa. Quanta quæſo in illo vultu tranquillitas, quanta ſerenitas? & quam digna *Amico veritatis*? quam civem cœli ſive Olympi Θεῶν ὁμόπολιν elegantiſſimè vocavit Menander Poëta. Vides Amice Lector ut conſentiant inter ſe Jupiter *Philalethes* & *Olympius*, nec minus cum ambobus, quam cum Alexandro Magno Hadrianus, & quam exinde feliciter & appoſite in hac appendice & auctario Diſſertationis noſtræ ambo una exhibuerimus, occaſione videlicet detegendi ludificationem circa nummum illuſtriſſimi Wittii, cui ſi aliquando detur tranquillo & ſereno cœlo frui, quanta de Muſæo ſuo, velut ex locupletiſſimo eruditæ omnis & elegantioris an-

tiquitatis theſauro promet nobis & ſuppeditabit monumenta vir illius ſtudioſiſſimus & eruditiſſimus. Tranquillitatem hanc ab ipſa veritate æterna dumtaxat impetrandam, illi pariter & nobis precemur *Lector Benigne* & Φιλαλῆθης. Hæc nos ſola liberos, beatoſque facit & ſervat. Hanc ſemper ama, in ſinu fove, & toto corde amplectere. Vale.

FINIS.

INDEX

INDEX AUTHORUM.

A.

ÆLianus. pag. 11. 21. 50
Ammianus Marcellinus. 53
Antonius Auguſtinus. 51.
Antonini Itenerarium. 31
Apuleius. 56. 58
Ariſtides. 45
Ariſtoteles. Præf.
Arrianus. 13. 14
Ariſtophanes. 69
Arundeliana Marmora. 35
Athenagoras. 45. 49
Athenæus. 49. 61. 63
Aurelius (Marcus.) 49
Aurelius Victor. 40. 45

B.

BAudelotius. 31
Becanus (Goropius.) 38
Bergerius (Nic.) 31
Boiſotus Veſuntinenſis. Præf.

C.

CÆſar. Præf.
Capitolinus. 34
Caſaubonus. 13. 45. 50. 52. 53. 72
Cauvinus (Joan.) aliàs Calvinus dictus vulgariter, il Padoäno. 51. 52
Cedrenus. 32
Cicero. Præf. 3
Chifletius. Præf.
Choulius. Præf. 51
Cuperus. Præf. 26. 55
Curtius. 13

D.

DEmetrius Triclinius. 72
Diodorus Siculus. 21
Diogenes Laërtius. 12. 59. 70
Dio. Præf. 32. 34. 45. 61
Dronius. Præf. 71, & alibi
Ducangius. 71

E.

EPhæſtion. 72
Epiphanius. 32
Erizzus. 51. 54
Euſtathius. 61

F.

FAbrettus. 67
Falconerius. 23. 25

G.

GAllandius. 26
Goltzius. Præf. 51. 71
Gorlæus. Præf. 21
Grævius. 53
Guttherius. Præf.

H.

HEgeſippus 50
Heliodorus. 6
Helladius. 53
Herodianus. Præf. 32
Herophilus. 69
Homerus. 6
Horatius 10. 26
Horus Apollo. Præf.
Huetius. 64

I.

IAcobonius. 70
Julianus. 33
Junius Hadrianus. 70
Juſtinianus. 56
Juſtinus. 7. 45
Juvenalis. 2. 33

L.

INDEX AUTHORUM.

K

Kircherus. 29

L.

Lampridius. 32
Landus (Conſtantinus.) 44
Licetus. 60. 65
LLoydius. 72
Lucianus. 13.26. 48

M.

Macrobius. 12. 59.70
Marcellinus Scholiaſtes Hermogenis. 61
Mediobarbus. 50. 57
Menagius. 33
Menetrius. Præf. 36.51
Minutius Felix. 2
Molinetus (Claudius.) 52
Morellius. Præf. 44.58.64
Morocenicus Theſaurus. 15

N.

Nointellius. 66
Noriſius. 67.71.72

O.

Occo. 71
Onuphrius. Præf.
Origenes. 42
Ovidius. 63

P.

Pagius. 72
Papias. 72
Patinus. Præf. 21.28.54.64.65
Pauſanias. Præf.7
Petavius. 61.71
Peutingeriana Tabula. 31
Philo. 2. 6
Philoſtratus. 23
Pindarus. 5. 6
Plinius. 10
Plutarchus. Præf. 11. 57. 2. 3
Pollux. 61
Porcachius. 35
Porphyrius. 58. 69
Prudentius. 6
Puſſinus. 26

Q.

Quintilianus. 30

R.

Rinſantius. Præf.

S.

Salomon. 21
Salmaſius. 43.53
Saresbeſius. 52
Scholiaſtes Ariſtophanis. 72
Sopater. 61
Spanhemius. Præf.55
Spartianus. 42.44.61.63.51.28.5.15
Sponius. 15.48.63.66
Statius. 21
Strabo. 7
Suareſius. 28
Suetonius. 34
Suidas. 26
Syrianus. 61

T.

Tatianus. Præf.
Tertullianus. 43
Themiſtius. 6
Theodoretus. 29
Thevenotus. 58
Toinardus. 48.72
Triſtanus. 33

V.

Vaillantius. 44.54
Voſſius (Iſaac.) 7
Vitruvius. 7
Virgilius. 37. 59
Wittius. 18.Append.

X.

Xiphilus. 20

Z.

Zonaras. 20

INDEX
RERUM ET NOMINUM.

A.

ÆTERNITATIS Symbola. *Præf.*
Acca Laurentia. *pagina.* 55
Adulatio & ſuperſtitio Θεοποιΐαν invenit. 2.3
Adulationi obnoxius Alexander. 11.
Agon Olympiacus ab Hadriano editus Athenis Olymp. 225. 60
Aggrippinus. *Duo Aggrippini in Appendice.*
Alexander. Hunc imitatus Hadrianus. *Præf.* Ariſtot. cultor & Pindari 5. Homerum unicè dilexit, ejus lectioni quotidie incumbebat, Iliada ſecum geſtabat. *Ibid.* Nodum Gordium quomodo diſſolvit. 6. Philoſophus. *Ibid.* Ædificandi deſiderio flagravit, Picturam, ſtatuariam & artes liberales, eorumque artifices, & inter illos apellem maximè dilexit 7.8.9.10. iter illius ad Hammonem & colloquium cum illo. 11. continentiæ ſpecimen. 12
Annulus aureus Hadriani apud Gorlæum. *Præf.*
Annulum ſeu ſignum Herculis ſecum ferebat Alexander. 21
Antinous. ejus nummus 8. alter 9 ſub forma *Anubis* in templo 41 Hadriani amores erga Antinoum 41. ipſi ſtatuti Prophetæ, μαντεῖα, oracula per eum reddita 42. 43. altaria, Templa, Tripodes, Sacerdotes, aræ, victimæ, ſacrificia, ludi, agones, feſta ipſi ſtatuta 50. Urbs Antinous ſive Antinopolis. 53. inter Deos & cœleſtes imagines relatus. 49
Anubis. 65
Apis. 24.59
Ἀποθέωσις Homeri. *Præf.* 26. de illa judicium Puſſini. *ibid.*
Aquila Jovis ales. Avium Regina. Solis & Apollinis ſymbolum. *Præf.*
Auguſtus Pantheus cognominatus. 34
Aureliani nummus. 71

B.

BAgoas famoſum ſcortum. 12
Barba; hanc primus Impp. Rom. aluit Hadrianus. 39
Beatrices litteræ veſti Dianæ affixæ. 72
Bergerius (Nicolaus.) 31
Beſa Deus localis. Beſantinous. 59
Bignonius (Theod.) vitam M. Aurelii compoſuit. 47
Boiſotus (Joan.) *Præf.*
Boryſthenes conſecratus ab Hadriano; ejus Epitaphium ab Ha-

driano compoſitum; ejus nummus. 35.36
Bucephalus domitus ab Alexand. 10.
Buſta. eorum figuræ. 33

C.

C Litera poſterior tempore Σ. 4.
Campeſtes Lariſſæa puella in matrimonium data Apelli. 10
Canopus. Ejus uxor Eumenites nuncupata; amborũ nũmus. 72
Cantharus. 59
Capſa & Ciſta. 60
Carabus genus navigii. 58
Choulius ejus error circa nummum Pantheum. *Præf.*
Conformitas inclinationum in Alexand.Magno & Hadriano. 5
Conſecratio. *Præf.* ejus ſymbola. *Præf.* fulmen, columna, pulvinaria, Aræ, Templa, Thenſæ, Pavo, Æternitas. *Præf.* ſolus è Regibus conſecratus eſt Romulus. 3
Corona radiata. 29
Cupiditas regnandi in omnibus hominibus. 2
Cydnus fluvius Ciliciæ in Aſia, in quo ſe lavit Alexander, ex quo in gravem morbum incidit; nummus illius elegantiſſimus. 10.

D.

DEmades. 11
Dianæ Templum incendio datum; quo die natus Alexander. 15
Diogenes Cynicus; ejus verba. 12
Ducangius, quid ſentit de hac litera L nummis Græcis appoſita. *pag.* 71

E.

ELeus Jupiter, & unde. *Append.*
Equos amavit Alexander. 10

F.

FAbrettus, ejus Muſæum Urbinas. 76
Falconerii Inſcriptio. 23

G.

GAllandius. 26
Goltzius. ejus collectio triginta Tyrannorum. *Præf.*
Gordius nodus. 6

H.

HAdrianus diſciplinæ militaris ſtudioſus. *Præf.* ingenii Luxurioſi, & ad oſtentationem inſolentis. 20. ſcientias omnes amplexus eſt & litteratos omnes fovit. *ibid.* Aſtrologiæ, divinationibus, & artibus magicis deditus. *ibid.* figuram ſive ſignũ Mercurii cum ſignis Zodiaci ferebat ſecum. 21. Græculus appellatus. 22. ubique ædificabat. *ibid.* moles Hadriani ſeu ejus ſepulchrum. 24. non infenſus Homero. 25. nummus ejus in quo ΗΡΩΑ ΑΔΡΙΑΝΟΝ. 25. Alexandriæ inſtaurator. 27. Villa Tyburtina Hadrianæa vocata, quid ſit. *ibid.* hujus typum in lucem dedit Franc. Barberinus Card. 28. Hadriani templum, Panhellenium nuncupatum. 29. ſibi dum viveret templa conſtruxit. *ibid.* templa Hadrianæa ſine numine & ſine ſimulachro,

quæ in pios uſus conſecrata poſteà Chriſto. 32. ejus amores circa Antinoum. 4
Helladius. Ejus Creſtomathia. 53
Hephæſtio dilectus ab Alexandro. 12. ejus funeri 12000 talenta inſumpſit Alexander. 13. inter Heroäs cenſeri voluit, imò inter Deos. 13. feſta, victimas, civitates, delubra, μαντεῖα habuit. *ibid.* nomen Hephæſtionis jusjurandum. 14
Heroici honores. 3
Herophilus. Ejus inſcriptio. 68. quo munere functus in Orgiis Bacchi. 69
Homerus. Ejus nummus. 26

I.

INſcriptio Athletica M. Aurelii Aſclep. 23
Iſis, omne quod eſt, quod fuit & quod futurum eſt comprehendit. 57. rerum univerſitas & natura ipſa. *ibid.* Panthæa cognominata. 64. Raſtrum Iſidi proprium, cimbium. navigium. 58.
Junius (Franc.) de picturâ veterum optimè ſcripſit. 31. ejus opus poſthumum de vitis artificum expectatur. *ibid.*

K.

KIrkerus. Ejus Latium. 29

L.

LAurus Apollini ſacrata. 44
Licetus. Ejus expoſitio de nummo Hadriani. 73

M.

MEnetrius. Ejus error circa nummum Pantheum. *in Præf.*
Midas. Ejus nummus. 63
Muſæum Alexandrinum. 22
Muſæum ſangenovefvianum. 52

N.

NOriſius. 67. 71. 72
Nummus Hadriani. 1. 15. 19. 20. 21. 25. 26. 30. 66. Alexandri. 4. Sabinæ 37. Antinoi. 8. 9. 40. 44. 46. 47. 50. 52. 54. ΘΕΟΥ ΠΑΝΟC. 59. MIDÆ. 63
Nummus Jovis Olympii, & Philalethis. *in Appendice.*

O.

OLympiadis verba ad Alexand. pro Jove Hammone haberi ambientem. 11
Oracula per Antinoũ reddita. 43.

P.

AN Παιδεραστία ſuſpectus Hadrianus. 47
Pagius. 72
Panathenæa certamina. 61
Pantheus quare dictus nummus Hadriani. *Præf.*
Panthei nummi titulus diſſertationi rectè impoſitus. 56
Polemon Hadriano carus & Smyrnæ. 25
Propheta & Sacerdos idem apud Ægyptios. 50

Q.

QUæſtiones difficiles ſolvit Alexander. 6

R.

RItus conſecrationum, apud Herodianum & Dionem

videndus. 32. neceſſarius illis Reipublicæ temporibus. *ibid.*

S.

SAbina. Ejus nummus elegantiſſimus. 38. Mores auſteri, & parum Hadriano grati. *ibid.*
Sapientia & veritas Jovis ex æquo filiæ. 38
Scarabæus. 58
Sella compactilis. 58
Serpens vetuſtioris Theologiæ ſymbolum. 44
Signa Panthea. 55
Σώϑρονος & πάρεδρος Θεῶν, quid. 44
Smyrna. Ejus conditor, & quomodo Alexander. 7. Ejus inſtaurator Hadrianus. 8. Homeri cultrix eximia. 26
Sol & Luna æternitatis ſymbola. *Præf.*
Spanhemius, ejus dotes ingenium Bibliotheca. *in Epiſt.* 18
Stipes, Bacchi ſymbolum. 59
Symbola conſecrationum. *Præf.*
Synodi Deum facere, quid Salmaſio. 43

T.

TIbiæ quæ Gallicè *Muſettes.* 60
Toinardus. 48. 72
Tripus. 58

V.

VEritas venit quandoque non quæſita. *in Append.* Sola liberos facit & ſervat. *in fine.*
URIM & TUMIN. 38
Wittius. 18

SUMMA PRIVILEGII REGIS.

AUctoritate regia ſancitum eſt, ne quis librum, cui titulus eſt, De Nummo Pantheo Hadriani Imperatoris, intra ſex annos à die Privilegii numerandos, imprimat, aut, alibi impreſſum in hoc regno divendat, præter conſenſum D. Abbatis Nicasii, aut eorum quibus id juris conceſſerit; &c. Datum Verſaliis die 10. Novembris 1688. De mandato Regis, Signatum NOBLET.

ERRATA SIC CORRIGENDA.

Pag. 2. Epiſt. lin. 23. refertiſſmum, *lege* refertiſſimum p. 4. Præf. lin. 23. τὰ ϛποιχεῖα. l. τὰ ϛοιχεῖα. p. 5. Præf. l. 8 Pantheon, l. Pantheum, p. 7. Præf. lin. 5. hic l. hîc, p. 9. l. 11. Kydnus l. Cydnus, p. 11. l. 9. καθαδεωλομένος l. καταδυλόμενος, p. 13. l. 14. ἥκεω l. ἥκον, p. 19. l. 11. poſt *Epiſcopi.* Adde, FRANC. DE CAMPS. p. 20. l. 6. ΒΥΘΙΝΙΑC. l. ΒΕΙΘΥΝΙΑC, p. ead. l. 21. Bythiniæ. l. Bithyniæ, p. 21. l. 3. Gorleus l. Gorlæus, p. eadem l. 25. Gorleus l. Gorlæus. p. 31. lin. 17. Itinerarii Antonini Tabulæ Peuting. l. Itinerarii Antonini, Tabulæ Peuting. p. 36. l. 16. Menetrei l. Menetrii, p. ead. lin. ult. BORISTHENES. l. BORYSTHENES. p. 56. lin. 29. averſa l. adverſa, p. 51. l. 3. Golzii l. Goltzii, p. 58. l. 13. pertinens l. pertinens. p. 60. l. 18. vigeſimam quintam l. vel vigeſimam quintam, p. 63. l. 7. hoc l. hîc, p. 67. l. 25. munuſculi l. minuſculi. p. 68. l. 18. ὤλιδον l. ὤλιϛον, p. ead. l. 11. ΔΙΩΝΥΣΩ l. ΔΙΟΝΥΣΩ. p. 72. l. 13. σκηρατισμὸς lege σκημαλίσμος.

SPECIAL 87-B
25541

THE GETTY CENTER
LIBRARY